



Caelii Augustini Curionis Sarracenicae historiae libri iii. : In quibus Sarracenorū, Turcaru[m], Aegypti Sultanorum, Mamalucorum, Assassinorum, Tartarorum, Sophianorumq[ue], qui in Perside regnant, origines & incrementa, septingentorumq[ue] ; annorum res ab illis gestae, breuissime? explicantur. His accessit Wolfgangi Drechsleri, rerum Sarracenicarum Turcicarumq[ue] Chronicon, auctum, & ad annum M.D. LXII usq[ue] perductum. Cum rerum & uerborum in hisce præcipue? memorabilium copioso indice.

<https://hdl.handle.net/1874/425969>

2.
CAELII
AVGVSTINI CV^{II}
RIQNIS SARRACENICAE
HISTORIAE LIBRI IIII.

IN QVIBVS

Sarracenorum, Turcarū, Aegypti Sultanorum,
Mamalucorum, Affassinorum, Tartarorum, So-
phianorumque, qui in Perside regnant, origines
& incrementa, septingentorumq; annorum
res ab illis gestae, breuissimè ex-
plicantur.

His accessit VOLFGANGI DRECHSLERI,
rerum Sarracenicarum Turcicarumq; Chroni-
con, auctum, & ad annum M.D.LXVII
usq; perductum.

Cum Rerum & uerborum in hisce præcipue memo-
rabilium copioso INDICE.



BASILEÆ, PER IOAN-
nem Oporinum:

DIVO
IMP. CAES. MAXIMILIANO II.
DIVI FERDINANDI, D. CAROLI V. FR.
F. D. MAXIMILIANI L.
PRONEPOTI:
D. FRIDERICI III. D. D. ALBERTI I. ET
II. ET RODOLFI ABNEPOTI:
AVSTRIACO, BOHAEMICO, PANNO-
NICO, ALSATICO, SVEVICO,
DALMATICO, ETC.
PIO, FELICI, INCLITO, VICTORI
ET TRIVMPHATORI SEM.
PER AVG.

CÆL. AVGUSTINVS CVRIO, PERPE-
TVÆ OBSERVANTIAE ERGO HAS EXI-
GVI AGELLI ET LABORVM SVO-
RVM PRIMITIAS
DICAVIT ET CONSECRavit.

CAEL. AVGVSTINI CV^a
RIONIS IN SARRACENICAM
Historiam

PRO O E M I V M .



AEPE & multum mecum ipse cogitans, scire cupiui, quid illud esset, quod maxima & potentissima quæque regna euertisset, uicissimque multos tenuissimos & obscurissimos homines ad summos honores & potentiam euxisset. Nam cum & Romani Imperij Christianeque Reip. detrimenta considero, & maximo rum regnorum ueteres animo calamitates colligo, non 10 minimam uideo per luxum, ambitionem & discordiam, inuectam esse partem incommodorum. Cum autem res ab nostra memoria propter uetus statem remotas, ex Historiarum monumentis repetere instituo, multa Imperia constituta, plurimas gentes subactas, diuturna regna & tutissimā tranquillitatem intelligo populis cùm temperantia, tum etiam facilius ciuili concordia partam. Ac me quidem diu cogitātem, ratio ipsa, & exempla in hanc potissimum sententiam ducunt, ut existimem, opes, diuitias, robur, rei militaris peritiam, sine concordia & populum benevolentia, obesse plerunque, prodeesse ferē nunquam: consensum uero & benevolentiam, etiam si ne diuinitis & opibus plurimum ualere. Quare qui populorum suorum salute, tranquillitate & commodis, quibus benevolentia & conciliatur & alitur, neglectis, prorsus ambitioni dediti, omne studium in potentia inter suos augenda consumperunt, potiusq; ab illis quam ab hostibus timeri uoluerunt: illi tandem inutiles sibi, & perniciosi patriæ fuere. Qui uero ita se se suorum ciuium & populorum charitate armarunt, ut suis chari patriæ 30 autem hostibus formidolosi essent: illi & suis & publicis rationibus optimè consuluerunt. Ac si uolumus antiquissimam regnum omnium originem quærere, illorumq; considerare principia, reperiemus ea omnia quæ

a 2 diu

diu floruerunt, honestissimis artibus parta , atque optimis rationibus constituta fuisse. Nam satis constat, initio Regium nomen, quod semper sanctissimum fuit, ijs attributum fuisse, qui optimè de hominum uita meriti uidebantur, populis sibi ob communem utilitatem reges creantibus. Cum enim nondum diuinæ religionis, aut humani officij ratio ulla coleretur, cum nemo legitimas uidisset nuptias, certos ue inspexisset liberos, necius æquabile quid utilitatis haberet accepisset: ac propter errorem atque insciām, cæca atque temeraria animi domina Cupiditas ad se explendam uiribus abuteretur: cuius potuit tanta uis esse, ut dispersos homines in agris & in tectis sylvestribus abditos congregaret, & ad ea quæ ipse iussisset facienda induceret? profectò id non ui, sed sapientia, æquitate, iusticia, beneficisq; in omne genus hominum collatis, quæ populos in sui admirationem traherent, communi quodam benevolentiae uinculo colligarent: & primò propter insolentiam reclamantes, deinde propter beneficia accepta & æquitatem studiosius obsequentes, in unamquamq; rem inducerent, utilem atq; honestam, factum necesse est fateri. His artibus Saturnus, antiquissimus Romanæ arcis conditor, prius in Armenia regnauit, & Babyloniæ regum potentissimorum insidiæ, uimq;, nulla re magis quam equitate, & populorū suorum in se benevolentia fretus, effugit: ijsdemq; nouum sibi in Italia regnum, Iouis arma fugiens, comparauit. Haec uia Romulus, alter urbis cōditor, ex pastorali & inope uita, & Numa cum Tarquinio Prisco, ex peregrinis ac priuatis, ad regium fastigium ascendere. Tali suorum in se benevolentia, Alexander ille Magnus totum domuit Orientem. Concordia, Gr̄corum res creuēre: Concordia, Carthaginonsum respub. potentissima est facta: eadem Romanos Concordia terrarum omnium dominos, & gentium domitores effecit. hoc uinculo iuncti Sarraceni, primò imbecilles & tenues, Romani Imperij prouincias innumeratas occupârunt: hoc eodem Turcarum potentia creuit: cum insolentia, ambitio & discordia, regna omnia

omnia potentissimaq; Imperia & amplissimas resp. euenterit. Vbi enim principes, artibus ijs relictis, quibus regna initio sunt constituta, regnorum fundamentum ac nervum pecunias & opes esse arbitrantur: occultis inter illos & populos odijs gliscentibus, & illo charitatis uinculo disfoluto, facilè cuius & se & populos suos præde obijciunt: Nam sic natura comparauit, ut eadem ratione qua alios in nos ipsos affectos sentimus, & nos erga illos affecti sumus: notissimumq; est Platonis illud, Quales in Respubli-
¹⁶ ca principes essent, tales ciues & populos esse solere. Ex quo nemini mirum uideri debet, Principes, qui sua ipso-
 rum commoda & rationes publicis anteferunt, à populis non amari: & omnes qui sub illis degunt, eodem exem-
 ple publicas rationes priuatis postponere: sic studijs homi-
 num in uaria distractis, rem publicam pessundari. His de causis Imperium primùm à Chaldæis ad Assyrios, ab Assyrijs ad Medos, à Medis ad Persas, ac tandem à Persis ad Macedonas translatum est. Discordia summum illud Alexandri Magni Imperium, successoribus eius inter se,
²⁰ dum nemo suis finibus contentus est, de monarchia dimi-
 cantibus, euertit: discordia Græcorum res potentiamque fregit: discordia & ciuilibus bellis Romana Resp. cōcidit:
 iterumq; Græcorum dissidia, Byzantinū Imperium bar-
 baris prædæ dederunt. Discordia Sarracenorum nomen extinxit, ut in hac nostra Historia patebit: eademq; pestis hodie Christianam remp. ita exagitat, ut uerendum sit, ne tandem (sed nolim quidquam malè ominari) ea quoque uel deleta, uel oppressa, ni resipiscamus, nobis sit lugenda.
 Quid igitur facimus? cum tantorum malorum semper
³⁰ causa fuerit ambitio, & ex ea nata discordia? Cur tā præ-
 cipites in ferrum, mutuamq; perniciem ruimus? Cur ciui-
 libus bellis, & nostrorum cæde gaudemus? Quā in potius, ô cæcæ hominum mentes, odijs depositis, controuersijs-
 que sotitis, quæ non ui & armis, sed æquitate, DEI que
 lege dijudicari debent, arma in communes Christiani no-
 minis hostes, in omnis humanitatis, religionis, literarum-
 que euersores conuertimus? arma inquam ista, quæ in ua-

rias partes disiuncta atq; distracta, & in se inuicem conuer-
sa , omnem Christianam remp. in exitium tandem tra-
hent : quibus coniunctis , Byzantium Romano iterum
Imperio restitui: Græcia ac tot Christianæ gentes in per-
petuo luctu uitam agentes,intoleranda tyrannide libera-
ri: impurissima Turcarum gens tota Europa pelli posset,
& uera C H R I S T I religio propagari. At forsitan olim,
longè querendus est hostis, maria trananda, Europa uni-
uersa metienda,in Asiam Syriamq; per loca ardua, regio-
nes suspectas, & ferocissimas gentes transeundum? At qui¹⁰
pro foribus & in ipso limine est, arrogantia tumidus, ultro
nobis insultans, dissidijs nostris gaudens, fortunis inhians.
O' secula, o' mores. Potuit olim Petrus eremita, tenuis for-
tunæ uir , trecenta mortalium millia contra Sarracenos
sola oratione armare, & innumeros nobiles ac proceres
cum multis legionibus in eosdem concitare, in Asiam us-
que perducere: ubi regna multa Sarracenis ademerunt.
nam tunc populi ipsi per se nullo stipendio adducti, sed so-
la pietate impellente, longissimas peregrinationes su-
scipiebant: & regibus ipsis uel ocio ac luxui deditis, uel ci-²⁰
uilibus bellis occupatis, arma in remotissimas terras con-
tra impios ferebant. Nunc autem , cum potentissimus,
idemq; immanissimus hostis, ceruicibus nostris immine-
at, Christianas prouincias alias occupet, alias oppugnet &
ualet: habeatq; Christiana resp. D. MAXIMILIANVM
Imperatorem sapientissimum: quorundam nihilominus
prauis consilijs nos mutuò conficimus. Quod cogitans,
& mecum ipse Christianæ Reip. statum lugens, ut cum
unus & uiribus imbecillis , ægroq; corpore, nil efficere
possem rebus gerendis : saltem multis alijs, qui possent,³⁰
animos ad commune periculum propulsandum excita-
rem : exemplisque, quæ Historiarum lectio suppeditat,
ad consulendum Reip. saluti accenderem : me ad Sarra-
cenorum, Turcarumque res alta uetus tatis caligine im-
mersas , ordine scribendas contuli: ut quibus artibus illi
creuerint, & quibus uitijs nostræ uires imminutæ sint,
uidentes , ea uitare possimus. Hanc autem Historiam
totam

P R O O E M I V M.

totam breuissimè comprehensam, & cùm ex multis Græ corum, Byzantinorumque & Latinorum uoluminibus, tum ex Arabum, Maurorumque annalibus collectam, in tres libros partiti sumus: sic, ut Primus Muamedis & Sarracenorum originē, imperijque incrementa, ad sum mum usque fastigium, per ducentorum annorum spaciū contineat: Secundus, à prima eius inclinatione, ad eiusdem excidiū initium, totidem annorum spacio: Tertiū, excidiū ipsum ac Turcici (quod Sarracenico successit) imperij originem ad Othomanum usque, trecentorum uidelicet annorum res gestas breuissimè complectatur. Ita ut hæc omnis Historia, ab anno post C H R I S T U M Seruatorem natum DLX, quo natus est Muamedes, ad M C C C perueniat. Othomanorum autem Imperatorum res oīnissimus, quòd à multis alijs seorsim scriptæ fuere: cum de his, quæ nos his tribus libris complexi sumus, nemo uel Latinorum, uel Græcorum, quod sciam, separataim Historiam fecerit. Quem meum laborem, si bonorum & doctorum iudicio comprobari sensero, ad maiora me deinceps accingere audebo.

8

CAEL. AVGVSTINI CVRIO
NIS SARRACENICAE HISTORIAE
Liber primus:

Quo origo illorum, & Imperij incrementa continentur.



ARRACENORVM restum in Oriente, tum in Occidente gestas scripturus sum: primùm, quia magne, & toto terrarum orbe peruagatae fuerunt, & diuina atq[ue] humana cuncta permiscuerunt: deinde, quia ex Christianorum dissidijs coaluerunt: ut inde exemplum capientes discamus, quantum dissidia nostra uirium Christiani nominis hostibus & audaciæ adant: ne'ue amplius hac ratione ijs qui nihil magis quam 10 sanguinem nostrum appetunt, iugulum prebeamus. Etenim primùm omnium illud satis constat, Imperium Romanum, quod concordia, temperantia & fortitudine intentam magnitudinē creuerat, ut cunctis penè mortalibus leges daret, ubi ocio & ingentibus opibus partis luxus Imperiorumque cupiditas ciuium animos inuasit (que res ipsum iam sua mole labantem, dum plures pro Imperij fastigio dimicant, deiecerunt) à nullo tantā cladem, quam ab Sarracenis, accepisse. Nam et si Gotti, egregijs uirtutis atque amplitudinis Romanæ monumentis immani rabiie deuastatis, primi hominum de domitore gentium populo triumpharint: & Attila Hunnorum rex, à Riphæis montibus ad Pyrenæos cuncta rapidissimi torrentis more prostrauerit: & Longobardi maximam Italæ partem occupassent, ut & Franci ex Germania in Galliam irrum pentes fecerant: illorum tamen alienis in terris uel non diurna fuerunt imperia, uel tandem sub mitiori cœlo degentes mores mutarunt, religionemq[ue]; & Cæsarum summum Imperium agnouerunt. Verùm Sarraceni, ut Romanii Imperij simul & Christianæ religionis euersores ui- 30 derentur, ex Arabia erumpentes, nobilissimas Asię partes, quæ tantis immanissimarum gentium inundationibus inta-

intacte fuerant, uastarunt, omnibus bonarum literarum, ingenuarumq; artium studijs, & (quod maximum est) religionis ueræ cultu in ijs extinctis: & non solum Asiæ provincias, sed & Africam penè totam, ac Hispaniæ maximam partem barbaris ritibus, ignorantiae tenebris, impiaq; & nefanda religione foedarunt: indeque crebris incursionibus Italiam, Græciam, & Galliam maximis calamitatibus afflixerunt: & tale Imperium constituerunt, ut hodie (qui est annus à Christi Seruatoris natali
¹⁰ M.D.LXVII.) non gentesimo uidelicet postquam natum est anno, ceruicibus nostris imminere uideatur, totique Christianæ Reip. sit formidabile. Nam Turcæ qui hodie rerū potiuntur, quasi hæredes ab illis & religionem & regna acceperunt: & adhuc in Africa Sarracenorū reliquie quædam uigent. Sed priusquam ad res gestas illorū explicandas ueniamus, sunt nobis pauca de origine, & sectæ autore dicēda. Arabia omnis in tres partes est distributa. quarum una Petreia, à Petra uetusimo oppido dicitur: altera, Deserta: tertia, Fœlix siue Sabæa. Petreiam ab Aegypto, cui ad Orientem est Casius mons, & inde uastæ solitudines dirimunt: à Septentrione Iudæam & Palæstinam habet: qua sol oritur, desertam Arabiam: & qua ad meridiem uergit, Arabici sinus interiorem partem. Deserta, in qua urbs Scene erat, alio nomine etiam Scenitis appellata: à meridie montibus Arabiæ felicis cincta est, à septentrione Mesopotamiam habet, & Euphratem fluum ab ortu. Arabia fœlix, inter duos sinus Arabicum & Persicum, ueluti peninsula excurrit: Petreiam & Desertam habet à septentrione, ab occasu Arabicum sinum: ab ortu Persicum, & à meridie Rubrum mare. Has regiones à quatuor populis habitatas fuisse inuenio, nempe ab antiquissimis Arabibus, ab Arabo, Sabo & Petreio, Curetis filijs, & Chami nepotibus oriundis: à quibus & tres Arabiæ cognomen acceperunt, nempe Arabia deserta ab Arabo, Sabæa (quæ & Fœlix) à Sabo thurifero, Petreia à Petreio (Berofo Chaldæo autore) deinde ab Ismaelitis, quorum generis conditor fuit Ismael, Abrahæni & Agaris ancillæ b filius,

filius, à quo & Ararena regio & Agranum oppidum, à Strabone corruptè, pro Agarena & Agareno nuncupata, originem habuerunt: ut Petreia regio à Nabathæo, Naba thæa, & Cedrei populi à Cedar eiusdem Ismaelis filijs dicti sunt. Tertiij populifuerunt ex Chæturæ, secundæ Abrahæ coniugis, filijs oriundi, qui magnam Arabiæ felicis partem occuparunt, eam præsertim quæ ad Rubrum mare pertinet: & in Libyam quoque colonias deduxerunt, unde postea (Iosepho authore) ab Ophre Mandanes filio, & Abrahami ex Chætura coniuge nepote, Africa dicta est.
Quartum genus, ab Esau Isaaci filio originem traxit, qui Iudeæ proximas Petreiaæ Arabiæ partes incoluit, unde Sarraceni populi in Arabia Petreia à Plinio & Ptolemæo nominantur. nam Isaacus Esau pater, Abrahami ex Sara filius fuit. Dicti autē sunt Sarraceni, ut simul se à domina, non autem à serua, quemadmodum Ismaelitæ, oriundos testarentur: & ab Iudeis distinguerentur, qui & ipsi iisdem parentibus orti erant. Inter hos omnes fortissimi & bellicosissimi erant Scenitæ, Desertam Arabiam incolentes, sic ἀπὸ τῶν σκηνῶν dicti, quod Nomadum more uagi & sine edificijs in tentorijs habitarēt: qui sese antiquissimos esse gloriabantur, & cum cæteris omnibus de nobilitate contendebant. horum opera sæpe in bellis Romani Imperatores utebantur. Instituta multa Arabes, & ritus Hebræorum institutis similes semper habuerunt, & hodie retinent: nam semper, ut etiam Herodotus atque Diodorus antiquissimi scriptores testantur, circumcisione usi sunt: ac tribuum, ut Iudei, familiarumq; ordinem seruarunt: & alterius tribus familiæ ue fœminam viro nubere, aut virum uxorem ducere nefas ducunt, generis nobilitatē in-
corruptissimam seruantes, ita ut nobiliores semper apud eos regnarent: nec unus omnibus, sed quælibet tribus regem suum haberet: eiq; non filius succederet, sed primus qui postquam rex esset salutatus, ex nobilissimo viro ac muliere nasceretur, in spem regni alebatur: homines pa- sim (ut qui sub torrenti sole degunt, plerunque solent) furtis ac rapinis dediti. Religio apud eos uaria erat . alij enim

enim Christum colebant: quorum etiam eo tempore, à quo nos Historiam nostram ordimur, ut & in alijs locis omnibus, varie erant sectæ. alij Iudeorum ritus seruabant: alij solem & lunam, alij arbores quasdam, alij serpentes, alij turrim Alcaba dictam, quam ab Ismaele edificatam putabant, & alij aliud uenerabantur. In hac igitur tanta religionum uarietate, ac tam rudi populo, Muamedes paternum genus à Core Esai, uel (ut alij uolunt) ab Cedar Ismaelis filio trahens, cuius pater Abedela, & mater Enima uocabatur, gente Iudea, Itaripi Meccæ urbis agri oppido, in Arabia deserta tenui fortuna natus est, Anno salutis Christianæ (ut ipsi tradūt) D L X, mense Februario. unde a parentibus primis annis & Hebreorum ritibus, & gentium cultu est imbutus. Parentib. uero, cum adhuc tenera etate esset, defunctis, Salutalebi patrui tutelæ fuit commissus. deinde cum iam adultam etatem attigisset, ab Scenitis, ferocissimis (ut diximus) eius prouincię populis, uitam per latrocinia ducentibus, captus, Abdimone pli Ismaeliti ci generis ditissimo mercatori uenditus fuit. qui eius ingenio cognito, eum sepiissime ob mercaturæ negotia ex Palestina, in qua habitabat, in Aegyptum mittebat. quæ nego cia, cum Muamedes per multos annos exercuisset, apud Hebreos, Christianos & gentiles magham sibi gratiani conciliauit. Erat enim Muamedes, statura mediocri, capite magno, facie subfusca, colore uiuido, barba prolixa, nec tamen cana: quia caniciem, si quæ forte incipiebat, unguentis celabat: aspectu graui, & maiestatem quandam cum comitate prese ferenti: cruribus optima proportione factis, motu corporis suavi, leniq;, ac (ut aiunt) fluminis suauiter delabentis cursum imitanti: in sermone benignus, magnaq; animi & corporis ui: ingenio acri, sed (ut de Catilina tradit Salustius) malo, prauoque: audax, & periculorum contemptor. Cuius res exemplum hoc adferunt, quod cum aliquando equo ferocissimo, ac prorsus indomito, amicis aliquot spectantibus, insideret, cum ita agitauit, ut omnes qui spectabant, de eius salute uehementer solliciti rogarint, ut ex equo

12 SARRACENICAS HISTORIÆ

descenderet. quibus ille placidissimè respondit: equum illum mari similem esse, ut se ea agitatione, non secus ac si nauis ueheretur, oblectari intelligeret. Itemq; uarius erat, ut leges ab ipso innumeræ inter se pugnantes, latæ indicant: quæ res in ipsius religione sectarum uarietatem induxit. nec non cuiuslibet rei simulator ac dissimulator, sed natura facundissimus. Vastus eius animus, immoderata incredibiliaq; cupiebat. Hunc tanta sectarum uarieta te cognita, cupiditas maxima inuaserat, unius religionis constituendæ, & imperij simulq; diuini honoris sibi uindicandi. Cuius rei spem illi faciebant Christianorum disfida, mores corrupti, & militaris disciplina amissa. His accessit Sergij monachi (qui ob Arrianam sectam Byzan-
tio pulsus, in Arabiam fugerat, & Abdimoneplis Muame-
dis heri domum frequentabat, Muamedemque ob inge-
nium ualde diligebat) consilium. Itaque hero sine liberis
mortuo, Hadigia uxor uidua quinquagenaria, omnium
mariti bonorum hæres, hunc sibi uirum capit. Is igitur,
ut qui comitialem morbum pateretur, cum sæpe corpo-
re prostratus, in alienationem mentis ueniret, idque uxor 20
ualde ægrè ferret: id sibi ex ipsius Dei spiritu, qui se cor-
riperet, & quædam nunciaret, quæ per ipsum circa Mosis
Christique legem populis essent indicanda, accidere
dixit. Corpora etenim corruptioni obnoxia, numinis in-
tuitum ferre non posse: ideoque corpus tunc penè animo
destitui. quibus uerbis uetula, ut quæ formæ eius atq; æta-
tis amore capta erat, fidem adhibens, nō iam ut maritum
amare, sed ut diuinum hominem & uatem colere, ac ue-
nerari cœpit: eiusque sanctitatem inter æquales prædica-
re, adeò ut decedens non modò fortunis diuitem relique 30
rit (hæredem enim eum ex asse instituit) uerùm etiam
sanctitatis apud rudem illum populum opinione cla-
rum. quas ob res Bubacus, eius Arabiæ partiis facile prin-
ceps, & ex eadem tribu natus, ipsi iam trigesimum æta-
tis annum ingresso, Aissam filiam nuptui dedit. Qua af-
finitate & opibus sibi à priore uxore relictis fretus, ausus
est se apertè Dei nuncium & uatem profiteri, & nouam
quandam

quandam religionem docere, ex omnium sectarum erroribus conflatam. Præcipiebat enim circumcisionem simul & facio fontis lauacrum, porcinæq; carnis & uini abstinentiam. Ieiunium mensem continuum seruari uolebat, tantumq; noctibus cibum capi. Tres tantum uates fuisse, Mosem & Christum, Christumq; minimè Deum esse: & talia huiusmodi impia dogmata innumera, quæ in ipsius Alcorano continentur. Quæ dogmata initio quidem à multis deridebantur, & illorum causa pro mente capto habebatur. Verùm cum iam affines omnes & Bubaci familiam, quæ potens erat, multosq; ex plebe in sanctam suam pertraxisset, Meccæ magistratus, id Reipub. nī citò huius hominis audacia reprimeretur, perniciosum fore animaduertentes (apertè enim in principes inuehebatur) manus illi injicere, ut supplicio afficerent, sunt conati. qua de re certior factus Muamedes, Mecca profugit: eumq; multi propinqui, affines, amici & clientes, quibus iam eum talem esse, qualis haberí uolebat, persuasum erat, sunt sequuti: & ab hoc anno, qui fuit post Christum Seruatorem natum D XC III, Arabes suos annos numerant: huncque annum Legiræ, id est fugæ annum uocant. Hac igitur multitudine uisa, magis quam antea uiribus suis fidens, talem ad eos habuit orationem.

Quantoperè semper cupuerim legem, quæ mihi per Dei opt. max. nuncium Gabrielem mortalibus præcipienda tradita fuit, promulgare, & ipse Altissimus nouit, & uos amici mihi testes estis. nulli enim unquam labori percisi, nulla pericula, nullas ærumnas subterfugi, ubi me communi hominum saluti consulere, & munus mihi diuitiis iniunctum exequi placide posse sperarem: ut homines à flagitiosa uita ad sanctam reuocarem: atque ex orco, in quem præcipites ruunt, in cœlestे regnum retraherem. In hoc uidelicet Dei ipsius, cuius legatione interris fungimur, benignitatem imitantes. qui cum omnes Adami culpa mortales, in immanis inferni tyranni manus cedissent: uoluit tamen populum suum, sicuti Abrahamo parenti nostro promiserat, seruare, lege nempe illi propo
b 3 sita, per

sitā, per quam uitam sempiternam adipisceretur. ideoq;
primū Mosem misit, qui initia quædam & fundamen-
ta iáceret huius doctrinæ, & homines sempiternarum
pœnarum metu ad saniorem uitam reuocaret. Sed cum
ea ratione parum Mosis lex profecisset, Iesum Christum
misit, qui mitiore quadam uia mortales deliniret, ac Deo
obsequentes redderet. Nunc autem humano genere ita
rursum deprauato, ut nulla sit certa & constans religio,
nulla disciplina, nulli probi mores : mihi, quem iam ab i-
pfa mundi origine ad hoc destinârat, id muneric iniunxit,¹⁹
ut extremis malis extrema remedia adhiberem : & ferro
atque igne, quicquid proui esset, uel se se huic legi oppone-
re auderet, rescinderem : ac regnum Dei, augustioremq;
in terris, quām ulla antehac fuerit, Rempub. constitue-
rem. Nam quis non uidet, nisi nos, quibus à Deo id mune-
ris est iniunctum, obuiam tantis malis eamus, omne mor-
talium genus breui periturum ? Non enim potest huma-
na natura sine lege (quæ in tanta uarietate & uiuendi li-
centia, nulla constare potest) non grauissimè labi & pec-
care : legem autem, quomodo salutarem inuitis & sper-²⁰
nentibus feremus? nam quantis nos, qui summi Tonantis
iussa exequi satagimus, contumelijs affecerint, uos amici
uidistis : non secus ac feras, ad necem nos persequuntur.
Sed uos felices ac beatos, quos Deus mihi ministros &
adiutores ad tantas res gerendas delegit: & non solum æ-
ternæ fœlicitatis mecum participes esse uoluit, uerùm e-
tiam in terris ingentibus diuinijs locupletare : quib. profe-
ctò, si fortes & in fide constantes fueritis, breui innumeris
gentibus subactis, & ditissimis regionibus populatis frue-
mini. Ea enim omnia Deus uestra esse uult, quæ iniustè³⁰
impij homines, qui huic legi aduersabuntur, possident.
Hęc autem omnia sic futura, cùm aduersariorum scelera,
quę Deus diutius impunita esse nō patietur, & uestra (ui-
ri fortissimi) preclara uirtus ac fides, tum Dei opt. Max.
certissima oracula, nobis spondent: quamobrem, si & cœ-
lestis regni, & tantarum opum atque gloriæ participes
esse uultis, decet uos mihi iusurandum prestatore.

Quibus

Quibus auditis, multitudinis principes, ac inter primos Zaid filius Zuzaræ, Aomar, & reliqui omnes ordine, stri
ctis gladijs, iure iurando grauissimo promiserunt: se nullam
aliam, præter eā quam Muamedes ferret, legem probatu-
ros: & pro ea tuenda propagandaq; uitā & sanguinē, ubi-
cunq; opus foret, profusuros. His peractis, Muamedes rur-
sus silentio multitudini imposito, ubi aliquandiu precan-
ti similis genibus flexis stetisset, alta uoce dixit:

Nunc, uiri fortissimi, uos armis & animis ad pugnam
accingite: certissimā uictoriam in manu habemus. en illa
quæ ſepe optastis: diuitię uidelicet, decus, gloria, perpetua
fœlicitas, in oculis sita sunt. Deus ea omnia uobis uictori-
bus præmia posuit: uirtus uestra, cauſa ipsa, & superiora
omnia, uos magis, quam oratio mea, hortari debent.

His dictis, decem duces ex nobiliorib. potentioribus-
que, & ſibi affinitate iunctis multitudini præfecit, eamq;
in cohortes & centurias distribuit. Ducum hæc erant no-
mina: Vbequar, Omar, Ozmen, Alifre, Talaus, Azubei-
rus, Zadinus, Zaedinus, & Abuobeid. & ſic Meccam in-
ſtructo agmine perexit. Quo audito, Meccæ magistratus
exercitum contra eum misit: cum quo Muamedis copiæ
congressæ, inferiores fuerunt. Quam obrem quatuor an-
norū ſpacio ab oppugnatione urbis abſtinuit: populos ta-
men interea ſemper ſuis cōcionibus, quas in agris & uicis
habebat, ad ſeditionem accendens: quibus etiam inter
Scenitas, qui Romanis Imperatoribus parebant, motus
quosdam excitauit. Deinde iterum uiribus auctus, Mec-
cæ oppugnationem fruſtra tentauit: & biennio poſt ter-
tiò eundem conatum irritum eſt expertus. Interea Hera-
clius Imp. Scenitarum iuuentutem ad ſeditionem spe-
ctare animaduertens, ut eam placaret, per ſpeciem mi-
litiæ, magnam partem procul ablegauit. Regnabat
tunc in Persia Cosdroes rex, qui Mauricij Cesaris filiam
nomine Mariam uxorem duxerat, & in eius gratiam
ſacri fontis lauacrum ſumpferat: Christianorumque
omnium, quamdiu ſocer uixit, amicissimus fuerat, ac in
eodem beneficus. Sed eo poſt à Phœca, qui ei in Imperio
succedebat,

successit, proditione interempto, eorum qui tam nefarium hominem domini sui cede pollutum, sibi principem constituerant, quasi illius sceleris & occultæ societatis reorum perfidiam detestatus, ut socii necem uxore incitante ulcisceretur, Heraclij (nam Phocas breui fuit interemptus) qui, cum Italiam & Romanum Imperium undique barbari uastarent, in ocio desidebat, ignauia audacior factus, in Imperij fines cum exercitu irruperat: & tota Asia ora quæ ad meridiem uergit, armis subacta, Aegyptum ingressus Alexander¹⁰ driam occupauerat: & inde ulterius progressus, Carthaginem, & omnem Africam subegerat. Deinde prouincia presidijs firmata, per Alexandriam reuersus, Syriam & Iudæam uastabat. Heraclius, à barbaro hoste tantis affectus cladibus, pacem petijt: qua non impetrata, potius coactus quam sponte, exercitum comparat: & Arabas istos Scenatas (cum quibus sunt qui uelint Muamedem fuisse, & prælio, quo Cosdroë res conciderunt, à milite quodam nomine Turco uulneratum fuisse) sibi adiungit: & cum Cosdroa multis prælijs congressus, tandem eum uicit, adeò²⁰ ut is ultra Tigranem fluuium fugiens, Medarsem filium (altero filio maiore natu, præclarè indolis adolescēte, qui Sirochis uocabatur, præterito) regni confortem declarârit. Qua contumelia grauissimè irritatus Sirochis, occulè cum Heraclio conuénit, ut patre simul & Medarse fratre, quem pater sibi prætulerat, cum omni regia gaza proditis, deductisq; præsidijs ex omnibus Rom. Imperij prouincijs, ipse Persarum regnum obtineret, paxq; inter utrumque Imperium esset: nec magis puduit Heraclium, Christianum uidelicet principem, regnum, quod iam tot³⁰ prælijs aduersis debilitatum, si uictoriæ cursum sequi, & fortuna uti sciuisset, in manu sua, rege præsertim fugiente habebat, parentis simul ac fratri impio nefarioq; proditori tradere, & ignauam ignominiosamq; pacem tanto scelere mercari: quam barbarum illum & impium iuuenem, regnum sibi, tam nefario facinore parare. tantum in hoc ualuit regnandi dira cupiditas, & in illo ocij desiderium.

rium. Itaque Cosdroas cum Medarse & uxoribus ex fuga retracti, in vincula coniuncti: nec multo post ambø Syrochij i^sassu interfecti, fortunæ uarietatis exemplum crudele fuerunt: quo moneri debent reges, quid ipsis in successore declarando sit cogitandum, ne fortioribus preteritis ignauiores eligant. Nulla enim acrior indignatio est, in feroci presertim pectore, quam uirtutis à suismet contemptæ. Rebus igitur Persicis hoc fœdere pacatis, Syriaque & Hierosolyma reliquisque prouincijs
10 Romano Imperio restitutis, ab hoc bello redeuntem Heraclium Muamedes regio comitatu & pompa stipatus conuénit, & regionem ad habitandum petijt, atque obtinuit. Cum autem militibus stipendum daretur, quererenturq; Arabes se merito stipendio fraudari: queſtor imprudenter nimis atq; arroganter, uix esse respondit, quod Græco & Romano militi daretur, nedum huic canum turbæ. Quę uerba breui toti ferè Christianę Reip. exitio fuere, & adhuc in capita nostra illius iniuriæ vindicta redundat: tot sæpe mala ex unius imprudentia
20 oriuntur, cum presertim viri fortes & militares iniuria afficiuntur. Hac enim contumelia ad iram accensi, Arabes in Syriam secessere, seque Muamedis asseclis adiunxere. Quamobrem Muamedes his uiribus auctus, quartò Meccam summo conatu oppugnaturus petit. Percepserunt hunc conatum Meccæ magistratus: & ideo maiore quam antea apparatu, & copijs, uniuersa penè ciuitas ad impetum hunc reprimendum ei occurrit: cum quibus ille ad Bredinum amnem prælio congressus, trecentis Meccæ patricijs, præter ingentem aliam multitudinem,
30 cæsis superior euasit, adeò ut eo prælio penè omnis Mecçæ nobilitas fuerit extincta, & sic Muamedes uictor Meccam est ingressus: præsidioq; imposito, Hunaimum cum exercitu petijt: eaq; urbe expugnata, prædam, quę opima fuit, militibus distribuit. Inde Tarsum obsidione cinxit. quia urbe per mensem frustra oppugnata, in Arabiæ interiora rediens, Itraripum siue Ietripum primò, deinde Medinam urbem diuitibus Iudæis refertam occupauit: &

præda militibus concessa diripuit : Iudæos uero omnes
 qui tum ibi, tum in alijs Arabiæ locis erant, ut qui maxi-
 mè ob diuinæ legis peritiam instituto suo aduersarentur;
 summo odio persequens, undecim prælijs penitus dele-
 uit. Inde Itraripum reuersus, Azeibum Meccæ præfe-
 ctum constituit, qui cum magna Arabum siue Sarrace-
 norum manu urbem est ingressus. erat enim tunc Mecca,
 & adhuc est, totius Arabię, tum ob uetus tatis opinionem,
 ut quæ ab Ismaele, uel ab Abrahamo ipso condita credi-
 tur, tum etiam ob magnitudinem urbis populiq; frequen-¹⁰
 tiam nobilissima. Deinde rursus eodem anno Azeibo
 inde moto, Moadum, Gadelis filium, eidem urbi præfe-
 cit: cum huiusmodi mandato, ut se humanis exempto le-
 gem suam tueretur, & à populis seruari curaret: interea
 uero Meccensibus ius diceret. Deinde rebus in hunc mo-
 dum constitutis, Tambicum castra mouit: ibiq; templum
 condidit, quod adhuc uisitatur. Inde Zalidum & Melidum
 legatos suos, cum copiarum parte contra Alozaidam, Al-
 mathaliphi filium, Aliendeli regem misit. quem illi armis
 uictum, uectigalem ipsi fecerunt: & sic Arabia tota suba-²⁰
 etta, Eubocaram, dum ipse Itraripi ageret, cum exercitus
 parte Meccam ire iussit: & ut ne minem in ea uiuum re-
 linqueret, aut aliunde uenientes, nisi qui ipsius legi par-
 rent, ac doctrinæ crederent, ingredi pateretur, iniunxit.
 uolebat enim Meccam, quemadmodum effecit, religio-
 nis atque imperij sui sedem esse. & sic Mecca breui tem-
 pore ijs tantum qui Muamedem colerent, est repleta:
 nec sola Mecca, uerum etiam Arabia tota eius errores (ut
 sunt illi populi naturâ creduli, & rerum nouarum admi-
 ratores) est amplexa. Deincepsq; omnes qui se ei sectę de-³⁰
 derent, tum quod ex Sarracenorum gente is error esset
 ortus: tum etiam Muamedem, ut ipsis omnia à Deo promis-
 sa uidarentur, quæ in Sacris literis Abrahæ semini pro-
 mittuntur, sic persuadente, Sarraceni sunt appellati. Quo
 rerum successu elatus, legationes ad uicinos reges misit:
 quibus monebat eos, ut & ipsi religionem hanc amplecte-
 rentur, cum literis argenteo signo, cui hæc uerba erant
 inscrip-

inscripta, MVA MEDES DEI NVNCIVS, ob signatis;
nempe ad Cæsarē Constantinopolitanū, ad Persarū, Ae-
gypti, aliosq; reges. Postea creauit quatuor tribunos mili-
tum, uulgò Admirantes appellatos, quibus singulis mul-
tos duces & centuriones attribuit: eosque quatuor acu-
tos Dei gladios nuncupauit, & iussit diuersos in quatuor
orbis terrarum partes ire, ac omnes qui legem suam non
amplectentur trucidare. Quorum hæc erant nomi-
na: Ebubezer, Omar, Ozmenus, & Ali Salutalebi patrui
10 ipsius filius: cui etiam Fatemam, suam ex priore coniu-
ge priuignam, uxorem dederat. Ex quibus Ebubezer,
ab alijs Vbequar, & alijs Bubacus uel Eubocara appella-
tus, Muamedis sacer, Palæstinam petijt: ibique oppidum
Muchea nomine oppugnauit, cui Theodorus Begarius
Cæsaris nomine præterat. is uiribus suis collectis, repente
Sarracenos tanto impetu est adortus, ut multis ex illis
cæsis, reliqui fuga sibi consuluerint. Quo tempore, III
Idus Martij, obiit Muamedes: Anno salutis Christianæ
D C XXXVII. cum decem annos regnasset, ac in do-
mo Asiæ coniugis Mednię, eo ipso in cubili in quo quie-
scere solebat, absq; ullo regio ornatu, corpore solummo
do triplici candido panno inuoluto, ferrea in arca condi-
tus fuit: ubi post templum magnificum latericio opere
extruxerunt propinqui eius, & fornicem in eo magnete
lapide ita crustatum fecerunt, ut arcam in qua Muame-
dis corpus iacet, in altum subleuatam sustineat, ex quo lo-
cus is à toto Oriente magna religione colitur. Tradunt il-
lum, dum exularet à patria, in Mauritaniam Tingintanam
semel peregrinationis gratia profectum, in Hispaniam
30 quoque traieisse. Sed cum intellexisset, Issidorum epi-
scopum sibi insidias parare, mox inde recessisse. Moriens
autem Muamedes Alim generum successorem suum de-
clarauit: & Califam, id est, pontificem sectæ sue esse uo-
luit, eię; unā cum filia corporis sui curam commisit. Sed
Eubocara sacer id uetuit, æquum esse inquiens, ut cum
Muamedes apud se dececessisset, suoque fauore & opibus
quæcumque adeptus erat, acquisiuisset, ipse ei succederet

20 SARRACENICAB HISTORIAE
prior. Cui Alis se opponere non potuit, quia potens erat, adhærebantq; illi Homar & Ozmenus propinquui ipsius, uiri fortes, & factione pollentes: qui cum ad te quoque, quod Muamedi rebus gerendis semper adfuerint, regni administrationem iure spectare arbitrarentur, malebant Eubocarā, qui senex erat, & ipsis sanguine iunctus, regnare, quam Ali iuuenem: qui tamdiu regnare poterat, ut ipsis nulla regni post illum obtinendi ex naturae ordine spes relinqueretur, & nulla ipsis sanguinis affinitate contingebat. Quamobrem Eubocara Muamedicæ sectæ 10 pontifex creatus est: qui statim cum ingenti exercitu finibus suis egressus, Romanum præsidium fudit: & uictor in Arabiam rediens, regni sui anno tertio nō expleto, nec sine ueneni suspicione, mortuus est, & prope Muamedem absque regio ornatu conditus. Huic successit Homarus, quem eius propinquū fuisse diximus. Hic Bosram, totius Arabiæ caput, cum multis alijs expugnauit, & Gabatam usque cuncta subegit: quo Sarracenorum successu uehementer commotus Heraclius, Theodorum fratrem cum magno exercitu contra eos misit. Qui cum Homare prelio congressus & uictus, Emessam confugit. Quo tristi nuncio accepto, Heraclius Baanem cum maioribus copijs ad eandem expeditionem misit. qui cum prope Emesam castra haberet, Sarracenos in se impetum facientes fudit, adeò ut illi in Damascenorum fines concesserint: & castris ad Bardanes fluuij ripam positis, tam ualidis excursionibus uicinos agros populabantur, ut nemo repreheme eos posset. Quamobrem Heraclius uiribus suis diffusus, & sibi, si diutius in ea prouincia mansisset (erat enim tunc Hierosolymis, unde post Persicum foedus nunquam 20 discesserat) timens, preciosis omnibus Hierosolymitani templi ornamentis secum, ne barbaris prædæ es- sent, acceptis, Byzantium redijt. Sequenti uero anno Sarraceni Damasco castra admouerunt. qua re motus Baanes, qui eam urbem Cæsar is præsidio tenebat, Theodorum Sacellarium, iterum Cæsar is in Assyria legatum, ut sibi cum copijs auxilio ueniret, rogauit. quod cum ille 30 facere

Facere properaret, à Saracenis in itinere fractus fuit. milites uero, qui cum Baane erant, ducem summa cum potestate habere cupientes, eum Imperatorem salutârunt: sed qui cum Sacellario Sarracenorum ex pugna manus euaserant, Heraclio fidem seruare uolentes abiuerunt. Baanis milites numero quatuor millia erant, & Sacellarij ferè totidem. Hoc igitur dissidio, quod inter Romanos milites ortu erat, cognito, Sarraceni promotis castris Romanos sunt adorti. cumq; uetus aduersus Romanoru aciem spiraret, qui in sicca & fabulosa regione puluerem attollebat, quo Romanis & oculorum usus, & respirandi facultas adimebatur: Sarraceni hac occasione usi, eos fuderunt. qui per præcipitē uiam fugientes, penè omnes in Ermeta amne submersi interierunt. Qua uictoria elati Sarraceni, Damascum petierunt: eaq; urbe expugnata, totam Phœniciam subegerunt. Deinde, cum expeditionem in Aegyptum molirentur, id audientes Romani, qui eam provinciam obtinebant, Cirum episcopum Alexandrinum sibi ducem constituerunt: qui legatis ad Sarracenos missis, pacem ab illis ducentis aureorum nummum millibus in singulos annos promissis impetravit. Et sic trium annorū spacio nullam ab eis molestiam acceperunt. Sed Heraclius ea re cognita, hoc foedus sibi ignominiosum ratu, Ciro Byzantium reuocato, Emanueli Armenum Aegypto præfecit: qui apertè promissam à Ciro pecuniā Sarracenis denegauit. Quare illi uehemēter indignati, in Aegyptum cū maximis copijs irruperunt: Emanuel uero cum paucis se Alexandriam recepit. At Heraclius, sero fidem etiam hostibus seruandam suo malo edoctus, cum vires ad bellum cōtra tam ualidos hostes gerendum non haberet, Cirum ad Sarracenos misit: quod, si fieri posset, eos ita mitigaret, ut deductis ex Aegypto copijs priori foederi stare uellent. Cui id eis persuadere satagenti, Sarraceni responderunt, Num marmoreā columnam deuorare posset? quod cum ipse fieri posse negaret: non magis se Aegypto discedere posse dixerunt. & sic præsidijs Romanis pulsis, eam prouinciam occuparunt. Deinde Homar

Hierosolymam petens, eam ervalida obsidione cinxit: & duorum annorum spacio obseßam, tandem deditioñe cœpit. qua occupata, facile Assyriam uniuersam suo subiecit imperio. Postea unum ex suis ducibus nomine Iaidum, cum magna copiarū parte in Mesopotamiā misit: cui tum prouinciae Cæsaris nomine præerat Iohannes cognomento Catea, qui Ozroenæ sedem habebat. Hic Iaido, mille auri pondo in singulos annos, modò ne Mesopotamiam ingrederetur, promisit: ac Edessam profectus, ei, Cæfare inscio, prioris anni uectigal misit.¹⁰ quo cognito Heraclius eo in exilium relegato, Ptolemaeum equitum magistrum Mesopotamiæ præfecit. Iadius uero, ubi id rescivit, Eufrate fluvio traiecto, Edessam urbem obsidione capit. deinde Cōstantiam & Baram diripuit, Mesopotamiamque uniuersam subegit. Et Muavia Aegypto, ubi Cairum oppidulum prope Memphis ruinas ædificauit, & communiuit, ac prouincijs omnibus inter Nilum & Euphratem amnes sitis, præposito, in Arabia redijt. Et post duos annos Sarraceni Persas iam tot aduersis rebus debilitatos bello petierunt. In Perside,²⁰ ut suprà diximus, Syrochis Cosdroæ successerat: eiq; intra annum defuncto, Adhiseris filius: quo breui extincto, Persæ Hormisdam sibi regem creauerant: qui in pugna contra Sarracenos perijt. & sic Persæ acie uieti, non solum imperiū, sed nomen etiam amisere. Sarraceni deinceps, pro Persis appellati. Perside occupata, Homar populos suum agnoscentes imperium recensuit. Et Hierosolymis habitavit, ibique templum Muamedi ædificauit, post regni sui anno decimo, à Persa quodam seruo suo, nomine Almigira, submisso, dū precaretur, fuit interfactus. Fuit Homar³⁰ uir bellicosus & ferox, ut innumera bella ab illo gesta, & prouincię subiectae testantur. nec minus prudens, quam fortis. Muamedis scripta colligi, & in unum uolumen componi curauit: & in eos qui eum labore sumpserunt, liberalissimus fuit. Nam Muamedes, cum esset literarum prorsus ignarus, nullum uolumen confecerat: sed ut quæq; res in mentem ueniebat, eam per hunc aut illum

ex suis

ex suis familiaribus in schedula scribi iubebat: ex quo factum est, ut eorum quæ prius scribi iussisset; oblitus, saepe pugnantia diceret. Hic etiam primus legem tulit, ut in omnibus templis, Mescithas ipsi vocant, per totū Septembrem mensem supplicationes fieret, & post totum Muammediæ legis uolumen publicè legeretur. Erat Homar statura procerus, colore subfuscus, capite calvo, barba minime densa, & albicante. sepultus & ipse fuit prope Muamedem. Sed priusquam moreretur, sibi ex uulnere moriendum sentiens, successorem eligi uoluit Ozmenum: qui & ipse Muamedem in rebus omnibus iuuerat, eiusq; gener bis fuerat. duas enim eius filias uxores duxerat: quæ tamen ambæ Muamede uiuentæ, sine liberis deceserant. ad quod eum largitio iuuit: nam Homaris pecunia ab eius ærarij præfecto accepta, eam unâ cum paternis bonis in milites distribuit. Fuit igitur tertius post Muamedem pontifex creatus Ozmenus, qui sequenti anno maximum exercitum Hucba duce in Africam aduersus Geregrium patricium, qui imperium in ea prouincia occupauerat, misit: eoque prælio uicto, & Carthaginem deleta, totam illam prouinciam Sarracenico subiecit imperio. sed post repentinum aliquod bellum, ab Europa, si Carthaginem moraretur, metuentes, Tunetum urbem in intiore Goletæ sinu sitam, se transtulerunt: ibique sedes aliquantis per ponentes, eam ualde auxerunt. Verum post mandato ab Ozmeno, ne ulla maritima loca incolerent, quia sic cum Imperatore conuenerat, accepto, XXXVI M. P. à mari & circiter centum ab Tuneta recedentes, urbem sibi condiderunt, Cairoanum appellatam. Deinde tertio huius regni anno Muatiás, quem Aegypto præposi tum fuisse diximus, cum mille & septingentarum, uel (ut alii uolunt) cum septingentarum tantum nauium, classe Cyprum petijt: & urbe nobilissima Constantia capta, tam insulam populatus est. Sed Carcozirum, Constantis Cæsaris ministrum, magna cum classe aduentare, certior factus: inde, ne quid incommodi pateretur, recedens, urbem in eadem insula Aradum appellatam, frustra oppugnauit.

24 SARRACENICAE HISTORIAE
gnauit. Deinde Damascum in hyberna exercitum reduxit. Interea Ozmenus, schedas Muamedis ab Homare colligi iussas, in meliorem ordinem redigi, in capita distri-
bui, ex ijsq; librum qui Alcoranum uocatur componi cu-
rauit, in quo omnia Muamedicæ sectæ dogmata & insti-
tuta continentur. Vere postmodum redeunte, Muauias
maiore quam antea classe, Aradum Cypri urbem petijt.
quam post multas oppugnationes tandem cepit: & inco-
lis, quocunq; uellent, sine alia iniuria abire iussis, penitus
deleuit, atq; insulam uniuersam habitatoribus spoliauit,¹⁰
uastauitq;. Eodem quoq; tempore alias Sarracenorum
exercitus Busurro duce, in Isauriæ regionis fines irrum-
pens, regionem totam ferro flammaq; uastauit: & quinq;
mortaliū millibus ex ea in seruitutē abductis, domum
redierunt. His tot tantisque gladiis acceptis, Constans
Cæsar duorum annorum inducias à Muavia petijt: qui-
bus non impetratis, dum Muauias ingentem classem ad-
uersus Romani imperij prouincias apud Tripolim Syriæ
urbem parat, duorum fratrum uirtute conatus ille ali-
quantisper irritus est factus: qui carceribus, in quibus in-²⁰
gens Christianorum numerus erat, effractis, omnes in li-
bertatem uindicarunt: adeò ut repente impetum in Sar-
racenos facientes, innumeros ex illis cæciderint. & reli-
quis fugatis, uiictores ad naues accurrerunt: ex quibus, ijs
sumptis quæ ipsis erant necessariæ, reliquas incenderunt,
& ipsi in Thraciam uenerūt. Sed Muauias nihil hac clade
territus, aliam maiorem classem comparauit & instruxit,
cum qua Phœnicem Lyciæ portum petijt, ubi Constans
cum classe erat: eumq; adortus, tantam Romanorum stra-
gem edidit, ut mare illorum sanguine ruberet. Constans ³⁰
uerò uili veste indutus, paruo nauigio cum paucis Byzan-
tium fugit. qua uiatoria elatus, Muauias Rhodum cœpit:
& Solis colossum, quem Plinio authore Chares XII an-
norum spacio trecentis talentis fecerat, demolitus est: cu-
ius statuæ æs à Iudæo quodam Emessano emptum, no-
ningenti camelii extulerunt. Neque hanc solùm statuam,
quæ septuaginta cubitorum erat, inde Sarraceni tunc a-
sporta-

sportarunt, uerum etiam innumerias alias: cum Plinius
præter hunc Solis colossum septuaginta tria millia signo-
rum, & centum colossoea in insula fuisse testetur. Rho-
do autem populata, per Aegæum delati, pari clade Cycla-
das affixerunt. Hoc ipso etiam tempore laidus, alterius
Sarracenorum exercitus dux, Armeniæ fines ingressus,
ad Caucasum montem usque omnia depopulatus est. &
Muauias Rhodo reuersus, classem in Siciliam misit: que il-
lam ferro & igni totam uastauit. cum qua congressus O-
lympius Italiæ exarchus (sic enim tunc uocabantur, qui
pro Constantinopolitano Cæsare Italiam prouinciam
gubernabant) cruentissima uictoria adepta eos expulit:
qua pugna defatigatus, in morbum incidit, quo paulo post
obijt. Ipse autem Muauias terrestri exercitu comparato,
in Capadociam ad Cæsaream eius prouinciæ caput op-
pugnandam duxit. Sed prius quam aliquid memoria di-
gnum ibi gerere posset, Ozmeni Califæ morte audita,
quia illi succedere cupiebat, exercitum reduxit. Ozme-
nus duodecimo pontificatus sui anno, Sarracenorum, qui
Ali Califam uolebant, turba domum, ut ipsum interfice-
ret, obidente, sibi ipsi mortem consciuerat, ne in illorum
manus ueniret. Hic annulum Muamedis, quem omnes
Califæ ante ipsum gestauerant, casu quodam amisit. a-
liumq; item argenteum sibi comparauit, in quo hæc uer-
ba scribi iussit: O PERTINACES, O POENITENTES. Colo-
re erat albus, aspectu grauis & humanus, barba prolixa, sta-
tura mediocri: fuitq; semper, & antequā se tam hanc am-
plièteretur, & post multitudini charus. ex mercatura ma-
gnas sibi diuitias comparauerat: quamuis semper libera-
lis, imò magnificus fuerit: quas (ut diximus) post militi-
bus, ut pontificatum adipisceretur, elargitus erat. Vixe-
rat annos LXXXVII. noctu sine ulla pompa sepultus est,
quia se ipsum interfecerat. Itaq; eo defuncto, magna in-
tentio. alij enim Alim uolebant, alij Muamadum Ozme-
ni filium, alij Muauiam. Sed Alis armis contra Muama-
dum obtinuit, adeò ut omnium præterquam Muauiæ

d confen-

26 SARRACENICAE HISTORIAE
consensu, pontifex crearetur. Muauias uero militibus
Aegyptijs atque Assyrijs, quos secum tot bellis exercita-
tos habebat, fretus, arma contra eum, Ozmeni cædis ul-
ciscendę causam prætexens, mouit: & cum uterque cum
exercitu ad Eufratem fluuium uenisset, Muauias rei mili-
taris peritior, & qui militem ueteranum haberet, castra
prope amnem & Babylonem urbem uallo ac fossa com-
muniuit sic, ut neque ad pugnam cogi posset, neq; aqua
(cuius in ea regione magna est penuria) & commeatu
destituerentur, ac nullus impetus à tergo esset metuen-
dus: cum interea Alis exercitus magna aquarum penuria
laboraret. & sic per undecim menses militem intra ca-
strorum munimenta continens, leuioribus tantum præ-
lijs re agendo, hostem fatigauit: donec tandem sacerdo-
tibus & alijs Muamedicæ legis peritis intercedentibus ef-
fectum est, ut causa tota duorum senum iudicio pernit-
teretur. hi autem fuerunt delecti, ab Ali Alascates, & ab
Muavia Alascius: qui cum Algadelum oppidum, in quo
de tota causa cognoscere debebant, uenissent, alter exil-
lis Alim pontificatu deponendum, alter uero eo dignissi-
mum esse censuit: quamobrem re per eos nec ritè dijudi-
cata, nec composita, Alis & Muauias in castra quisque sua
redierunt: nec desierunt excursionibus crebris se mutuo
utriusque partis milites interficere, & agros populari, do-
nec tandem Alis in templo quodam prope Cufam Ara-
biæ urbem, Muaviae insidijs trucidatus fuit, ibi q; sepultus:
& ob id nunc locus ille Massadale, id est, Alis domus uoca-
tur. Is in annulo hanc habebat inscriptionē: CORDE SIN-
CERO DEVVM DOMINVM VENEROR. Corpore breuis e-
rat, barbam habebat prolixā, brachiaq; & crura uilloſa, in
inceſſu nuquam oculos attollebat. Ali mortuo, Cufæ &
Aratæ ciues Alhacceum, eius ex Fatema coniuge, Mua-
medis filia, maximum natu filium, pontificem creârunt:
qui auum maternum forma omnino referebat. Hic exer-
citū contra Muaviam ducto, quum acies ambæ ad pu-
gnam instructæ, & fronte opposita starent, siue prælij
euentum metuens, siue (ut alij tradunt) naturæ bonita-
te ui-

te uictus, ne tanta humani sanguinis strages sua causa ede-
retur : Muauiam supplex adjit , eumq; superiorem agno
uit. & sic pace inter eos facta , simul Cufam petierunt : &
magna ibi accepta pecuniæ ui, Ietribum inde iuerunt , ubi
Muauias Alhacemum propria manu regio diademate or-
nauit, regemq; appellauit, quia non diu uicturum sciebat.
Nam sexto pontificatus sui mense nondum expleto, uene-
no quod illi Muauias dederat, obijt. Symbolum eius, quod
in annulo gestabat, fuit: Solus Deus potens est. Et sic Mua-
uias solus emulis sublatis regnauit. Reb. in hunc modum
constitutis, in Imperij Romani fines irrupit. sed post Con-
stantio petenti pacem, dedit, ea lege, ut quotidie ab eo de-
cem auri pondo , & seruum cum equo acciperet. Dama-
scus his temporibus Sarracenorum Imperij sedes & ca-
put erat. Verum in tanta fœlicitate orta sunt inter eos
dissidia, ob religionē ex Muamedis rescriptorū uarietate
& repugnantia. Persæ namq; iam (ut diximus) Sarra-
ceni facti, longè diuersa ab ijs qui in Syria erant, Homaris
Alcoranum sequentibus dogmata habebant. quamob-
rem Muauias exercitu in Persidem ducto, sectam illam
depressit, & suam quæ in Syria uigebat extulit: constituit-
que, ut suę sectę militibus ducenti denarij in singulos dies
numerarentur, Persis uero solum triginta. Deinde Cili-
ciæ fines ingressus, totam ferro & flamma est depopula-
tus. Cumq; Damascum rediisset, Sapor locorum, quæ
adhuc Romanū imperium in Perside agnoscabant, Præ-
tor, qui ab Imperatore defecerat, Sergium equitum ma-
gistrum ad eum misit, rogatum, ut se ad Constantinopo-
litanum Imperium occupandum iuuaret. quo hæc cum
eo tractante, uenit pariter ad Muauiam Andreas Cæfaris
minister, magna & ampla dona promittens, si Saporis re-
bus nō fauisset. quibus Muauias respondit: Cum utrumq;
pro hoste haberet, se illi auxilio futurū, qui plus dedit.
atq; sic Sergio maiora dante, fœdus cum eo inijt. Andreas
uero discedens, Sergium in Persidem redeuntem insidijs
structis cœpit, & in crucem sustulit, eo cui fides data erat
sublato, Muauiam retentis muneribus se promissis solu-

tum cauillaturum sperans : sed maior fuit in barbaro
fides , quām Græcum ingenium capere posset . Mu-
uias enim fidem sine fuso seruare uolens , Arabicas
corias Fadala duce Saporis auxilio misit : eoque equi ca-
su mortuo , Fadalē supplementum Lazido filio suo du-
ce , quo cœptum bellum sustinere posset , dedit : qui-
bus copijs Chalcedonia ualde afficta fuit , & Armaria
Phrygiæ ciuitas capta : ac quinque millium Sarraceno-
rum præsidio imposito (quia hyems instabat) in Sy-
riam cum exercitu redierunt . Interea Cæsar , quamvis ^{10.}
hyems iam adesset , omniaque niuibus tecta essent , An-
dreas cum parua manu ad præsidium illud pellendum ,
& Armariam recuperandam misit . Itaque Græci sca-
lis repente ad mœnia applicatis , absque ullo impedi-
mento in ciuitatem irruperunt : & Sarracenos , qui ni-
hil tale suspicentes , cum ingens esset frigus , domibus
inclusi erant , ut tot clades ab illis acceptas ulcisceren-
tur , omnes trucidarunt . Postea Constantio , qui in I-
taliam ex Græcia , & Romam profectus , ubi omnia di-
ligenter circumspexit , ad prædam conuersus , quic-
quid antiqui operis fuit ex ære aut marmore , & quic-
quid oculos delectare potuit , sublatum , & in naues dela-
tum Neapolim primū , ac inde Syracusas in Siciliam
secum transtulerat , adeò ut plus ornamentorum ipse
septem dierū spacio , quām tot barbaræ gentes ^{20.} CCLVIII.
annorum (tot enim à Romani imperij prima inclinatio-
ne intercesserant) urbi detraxerit . ibi dum tributum I-
taliæ urbibus & insulis imperatum (quod tam auarè &
crudeliter exactum fuit , ut multi fortunis simul & con-
iugibus ac liberis spoliarentur) molliter & libidinose ui-
tam agens expectat , à suis metu trucidato , & Constanti-
no eius filio imperante , eum imbellem uidentes , Sarra-
ceni classem occulte comparant , Thraciam & Græciam ,
si quid Byzantij tumultuatum esset , inuasuri . Verū
& totius Italiæ spolijs refertam petierunt : atque Syracu-
fas ,

fas, quæ nullo præsidio tenebantur, repentina uī cæperunt. Cumque ibi ob Italiæ propinquitatem tutò esse non possent, Romanæ urbis ornamenti omniue Syracusana gaza nauibus imposta, opima præda onusti, Aegyptum repetierunt. Non desunt tamen, qui tradant, Constantium Constantij filium patris cæde auditæ in Siciliam nauigasse, & spolia inde Byzantium asportasse. Post aliud Sarracenorum ingens exercitus Africam ingressus, incredibili successu omnem maritimam oram (nam mediterraneorum iam magnam partem possidebant) oëtingentis mortalium millibus inferiutum abductis populatus est: & ab alia parte Muuias maximum exercitum Muamade & Caïse ducibus emisit, qui Lydiam & Ciliciam Romanorum prouincias subegit. Ac paulo post, ut Byzantium oppugnare posset, huic alium Sæuo duce submisit: quo priori coniuncto, Byzantium ambo petierunt, eumque obsidione cinxerunt. Hisque classem etiam ingentem addidit, quæ ab Hebdomi occiduo promontorio ad Cyglobium omnia cingebat: ac sæpius oppugnationem tentarunt, sed irritus fuit illorum conatus. Duravit hæc obsidio à mense Aprilia ad Septembre. Inde Cyzico urbe capta, eò in hyberna concesserunt. Vere deinde in eunte, rursum in aciem prodierunt: sicque multis illatis & acceptis cladibus, bellum hoc circa Byzantium in septimum annum produxerunt. Tandem aëro Christianorum rebus prosperè succendentibus, multis militibus atque etiam nauibus amissis, deiecti animo, mari inde recesserunt: cumq; hyems esset, tanta eos tempestas in mari corripuit, ut nauibus ad Chium Aegei maris insulam fractis, magna illorum pars submersa perierit. & fortuna tunc mirum in modum Christianorum rebus fauente, paulo post Constantinus cum Susia, Muauiae nepote, prælio in Asia feliciter commisso: & trecentis Saracenorum millibus in eo cæsis, eos sibi uectigales fecit; fœdere cum eis per Iohannem Pizigaudam patricium,

30 SARRACENICAE HISTORIAE
quem ad hoc in Arabiam ad Muauiam Constantinus misit, in triginta annos his legibus iecto, ut Romanorum Imperatori quotannis auri pondo ter mille, octonos seruos, totidemque præstantissimos equos tributi nomine darent: & præterea ex captiuis Christianis, qui apud eos erant, quinquaginta, quos Cæsar petiisset, libertate donarent. Fuerunt autem & alia, quæ Sarracenos ad hoc fœdus impulerunt. Nam his cladibus in Syria cognitis, quidam Saracenarum nauium præfectus, Calinicus nomine, animo ex illorum aduersis rebus sumpto, naues omnes quæ ibi erant incendit, & post Byzantium confudit. Et in Aegypto quoque eadem fortuna res illorum affixit. Pestilenta eniin tantopere ibi tunc sæuijt, ut Sarracenorum genus in ea prouincia penè extinctum fuerit. & Constantinus paulo antè, ut conatus illorum quavis ratione repri-¹⁰
meret, consilio non satis prudenti Caucasia claustra, ab alijs Caspia errore dicta (que ab Alexandro magno occulsa ueteres semper, montanorum, simul ac Septentrionalium populorum ferocitatem metuentes, magis clausa & septa uoluerant, unde post Turcas egressos ferunt) aperiuit: & populos quosdam intra eos montes latentes, Mardatas appellatos, euocauerat. qui speculis omnibus montium à Tauro, qui hodie Maurus dicitur, ad Libanum occupatis, Sarracenis formidabiles facti erant. quibus enim graue erat Sarracenorum iugum, omnes se ad hos in montes transferabant: & inde crebris excursionibus subiectos agros populantes, omnia illis infesta reddebat. quibus tot tantisque cladibus Arabum uires ualde imminutæ erant: & unicā tantum illis classis reliqua erat, quæ tunc Fadala & Cadallo ducibus Cretam uastabat. His autem successibus uisa est nonnihil Rom. Imperij maiestas reuiscere. Sed Muauias pace, que Christianis (quia tunc poterant Sarracenorum iam ita fractæ & conquassatae uires, si non magis præsens ocium, quam diurna Reipub. tranquillitas, quæ nulla ratione diurnior tutiorque cum barbaris, quam perfecta uictoria paratur, Cesarit tunc cor difuisse, penitus opprimi ac deleri) præniciosissima fuit adepta,

adepta, vires aduersus Mardaitas conuertit: ijsq; de specu
lis illis & montibus quos insederant deiectis ac deturba-
tis, ad religionis suæ, in qua iam multæ sectæ erant obor-
te, controuersias componendas animum applicuit. Ideo-
que concilium siue Synodum suæ sectæ indixit, ad quam
edicto promulgato doctos omnes, qui ue aliquod Mu-
amedis aut superiorum pontificum rescriptum haberent,
suum agnoscentes imperium uenire, & scripta secum ad-
ferre iussit. Celebrata fuit Synodus hæc Tartarica Dama-
sci. cumq; ibi ob sententiarum pugnantium uarietatem
nihil statui posset, sex omnium sapientissimos ex eo nume-
ro communi consensu feligi iussit: & sic delecti fuere
Mulcinus, Boarius, Buora, Anoeius, Atermindus & Da-
uid. his in unā domū, cū omnib. scriptis quæ allata fuerat
inclusis, ut singuli ex illis scriptis omnia Muamedis facta
& dicta, quæ uerisimilia uiderentur, in unum uolumen
colligerent, iniunxit. Cumq; illi sex uolumina fecissent,
reliqua omnia scripta in flumen projici curauit: quæ tot
fuerunt, ut illis ducenti camelii fuerint onerati. Deinde le-
ge lata grauem eis poenam proposuit, qui secus crede-
rent, facerent, dicerentq; quām in ijs sex Alcoranis præ-
scriptum esset. Ex quibus sex uoluminibus ortæ sunt po-
stea quatuor Sarracenorum sectæ, quæ Melici, Asafij, Al-
lambeli & Buanifi uocantur. Afri enim, Melici: Arabes
& Damasceni, Asafij: Armeni & Persæ, Alambeli: Ale-
xandrini & Assyrij, Buanifi. In Cairo uero, maxima Ae-
gypti urbe, omnes sectæ, nemine repugnante, uigent. His
peractis Muauias Damasci, ubi sedem habuerat, obiit: i-
bidemq; sepultus fuit. Hic primius Sarracenorum ducum,
30 unà cum Ozmeno, Homare regnante, Romanas prouincias
cum exercitu est ingressus: primusq; imperij Sarrace-
ni ciuitates ad Occidentem, in Aegyptum scilicet atq; Afri-
cam, ad Orientem in Mesopotamiam, & ad Septemtrio-
nem in Asiam promovit, & primus sibi certam regiam
que sedem constituit Damasci: cuius urbis ager omnem
alium ubertate, cœliq; suavitate superat. & seruis regio-
more, atq; eunuchis, qui coram se aperto capite starent,

32 SARRACENICAE HISTORIAE
usus est. fuit enim uir prorsus militaris, & in rebus gerendis prudens: colore albus erat, facie iucunda & graui, oculis uarij coloris, statura mediocri, barba semper nigra: quia ubi canescere coepit, tingebat ea. Vixit an. LXXVII. regnauit XXXIII. Sigillum gestabat cum hoc symbolo: O' DEVS IGNOSCE MIHI. Literas nullas, & ne scribere quidem norat: cū tamen magno esset alioqui ingenio. unde ferunt Muamedem aliquando in conuiuo (ut coram hominibus solebat) orantem dixisse: O' Deus doce Muauiam scribere & numerare, eundemq; à periculis libera. quibus uerbis uir callidus, qui Muauiae ingenium acre & ferox norat, duo uoluit indicare. Primum, illum, si aliquid literarum didicisset, potuisse sectam suam uehementer adiuuare. nam qui scribere norunt, ij etiam legere possunt, & inde prudentiores fieri. Deinde, quia ob fericitatem multis sese periculis obiecturum uidebat, numerandi artem ei à Deo precabatur, qua tempora metiri & obseruare posset, occasionesq; rerum gerendarum capta re. eandemq; ob causam à Deo, ut eum periculis eriperet, petebat: sed uiro per se & natura callido, nihil his opus fuit. Muauia defuncto, statim Iezidus, eius filius, pontifex & rex fuit salutatus: qui nihil adeò memoratu dignum gesit. erat enim ocio & luxui deditus, nec corpore satis firmo: nisi quod multos ex Arabum nobilitate interfecit: sororem suam libidinosè adamauit, & literis atque poetice delectabatur, multaq; carmina faciebat, legis Muamedicæ & cuiusuis religionis maximus contemptor. hoc regnante, Mutar, quem ipse Persidi prouinciae præfecerat, eius ignauia cognita, se uatem esse prædicans, tyrannidem in ea inuasit: ab eoq; Persarum reges, qui hodie Sophiani uocantur, originem ducunt. Iezidi symbolum fuit: DEVS EST MEVS DOMINVS. regnauit annos tres: obijt autem Arrani, ætatis suæ anno XL. cum paulo antè Cufæ ciues Hocemū, Alis filium, pontificē creaturi uocassent: quem Abdalamus, Iezidi filius, in Carbalensibus campis prope Cufam insidijs oppressum interemit: ibiq; sepultus fuit. in cuius rei memoriam, ad eius sepulchrum ciuitas postea fuit

fuit condita Carbala, de campi in quo est nomine appellata. Hoc emus duodecim filios mares reliquit, Zeinalum uidelicet Abadinum, Zeinalum Muamedem, Baguerum Muamedem, Giafarum Cadenegum, Giafarum Musam, Cazinum Musam, Hali Muceratium, Alle, Muamedem Taguimum, Muamedem Halinaguimum, Alle Hacemum Afquerinum, Hacemum Muamedem Mahadinum. qui uarijs in locis sepulti sunt, nempe alij prope Muamedem abauum, alij Bagadati, alij Herini : solum Muamedem Mahadinum Persæ nondum obijisse dicunt, quem equo insidentem ad legem cunctis gentibus declarandam uenturum, & omnes gentes conuersurum, id autem in Mas-sadale urbe, ubi Ale aui eius corpus iacet, incoaturum a-iunt. Ideoq; semper ibi equum pro illo paratum habent: quem, cum sacra fiunt, facibus accensis ad templum dedu-cunt: & quodam anni die apud eos solenni hunc equum quam maxima possunt pompa ad templum, in quo Ale sepultus iacet, ferunt, rogantes eum, ut hunc suum nepo-tem, quem ipsi expestant, quam citissime mittat. ad quod festum ingens ex uarijs partibus accurrit hominum mul-titudo. Itaq; Hocemo imperfecto, & Iazido mortuo, Mar-uanus quidam pontificatum est adeptus, qui non plus quam nouem menses regnauit: quoniam Abdalamus, Ia-zidi filius, eum regno expulit, eoq; annum unum ipse po-titus est. quo tempore Arabes concilio in Cufa interioris Arabiæ urbe habitu, Abdimelicum pontificem creârunt adhuc iuuenem. aduersus quem motus excitauit etiam quidam alias, nomine Dadacus. Sed Abdimelicus Ca-fam consanguineum suum ad Abdalanū persequendum misit (erat Abdalanus ex Eubocare stirpe oriundus, quam stirpem Arabes Maraunionam uocant) & ut ex ijs quæ narrata sunt patet, multos annos per uim pontificatum obtinuerat: ideoq; Sarracenis, qui Alis stirpem, quæ à Mu-a mede recta ferè linea originē trahebat, magis amabant, erat exosa. Abdimelicus uero ab Ali genus ducebat, quod illi Abazionem uocant: ipse uero Abdimelicus cum alte-ro exercitu Dadacum est persequutus. Abdalanus tunc

e forte

fortè in Mesopotamia nouum Califam ibi exortum dele-
 uerat, & cum exercitu uictor Damascum redibat: cum
 eum Ciafas ad Eufratem fluuum offendit, & commisso
 prælio cruenta uiatoria est potitus. Damascenus Califa
 Abdalanus Damascum confugit: unde ibi, quia tyrannicè
 imperium exercuerat, nō admissus, Cairū tunc nō magnā
 urbem ad Nilum, nō procul ab Memphis amplissimæ ur-
 bis ruinis sub Homare à Muavia, ut Nili transitum in sua
 potestate haberet, conditam, & præsidio munitam (quæ
 pòstita creuit, ut nunc inter maximas orbis terrarum nu-¹⁰
 meretur) petijt. & ibi quoq; à præsidio quo tenebatur ex-
 clusus, atq; à suis omnib. ob sequitiam, qua in secunda fortu-
 na uicissitudinis humanæ parū memor, usus fuerat, deser-
 tus, in Græciā nauigare cum unico seruo uoluit: sed uentis
 in insulam quandam, in qua notus erat, delatus, ibi trucida-
 tus fuit: & sic Califorum, qui Damasci regnauerant, ge-
 nus interiit. Ciafas uero Damasco potitus, Iazidum Cali-
 fam iam ante multos annos sepultum extrahi, eiusq; ossa
 cremari, & cineres in flumen projici iussit: & in omne ge-²⁰
 nus Maraunum ferro ac flamma sœuijt, cadauera illorū
 feris dilaceranda projiciens, ut Hocemi & aliorū ex Aba-
 zia familia ab ipsis interfectorum iniurias ulcisceretur. e-
 rat tunc quidam ex Maraunia stirpe homo diues & po-
 tens, nomine Abedramon, cuius maiores Damasceni Ca-
 life fuerant: & sunt, qui eum tradant Muavię filium fuisse.
 Hic Abdimelechi & Ciafæ immanitatē, qua genus suum
 persequebantur, uidens, sibiq; talia metuens, magno ami-
 corum, propinquorum & clientum numero collecto, in-
 extremas Mauritaniæ Tingitanę partes penetrauit: ubi,
 tum quòd ex Damascenorum pontificum familia esset,³⁰
 tum ob uirtutē fortitudinemq; , magno honore ab ijs Sar-
 racenis qui illic erant (nam multi iam Romanis, mariti-
 ma quæ ad Mediterraneum spectant loca tantum defen-
 dentibus, eò uenerant, ibiq; sedes posuerant) acceptus fu-
 it: qua potentia & sectę opinione elatus, primus omniū se
 Miralmūminum, quæ uox Arabica lingua credentium
 principem significat, ausus est appellare: quem pòst nostri
 historici

historici corruptè Miramulinum uocauêre . itemq; Maro
ci urbem maximam & nobilissimam prope Athlantis ra
dices, ad Agmeti portas condidit, & regni sui metropolim
constituit : quamuis multi à Iosippo, Tesfini filio, & alij
ab alio conditam uelint. Contra hunc autē Abdimeleucus
tum quia illum rebus suis, cum aliò arma conuerteret,
quò ipse Asiæ rebus intentus spectare non poterat, nihil
obesse uidit : tum quia multis alijs molestijs affligebatur,
nihil tentauit. nam etsi Dadaco cum sua factione deleto
10 uictor Damascum & ipse uenisset, non tamen diu ea læti-
cia frui potuit : quia & sequa pestilentia grassari cœpit, que
Sarracenicā gentem penè ad interencionē deleuit: & cum
peste, dira etiam fame affligebantur in omnib. suis regio-
nib. & Mardaitæ mōte Libano iterū occupato, fines suos
Hierosolymā usq; promouerant, & Persidis à Mutare oc-
cupatę res animū eius angebant. Quibus aduersę fortunę
fluctibus agitatus Abdimeleucus, ne quo maiori infortunio
obrueretur metuens, per legatos à Iustiniano, qui tunc an
nos natus XVI imperium erat adeptus, pacis, quam Mua
20 uias cum Constantino pepigerat, confirmationē rogans,
ut Mardaitæ Libano amouerentur petiit : quod si fieret,
se Romanis quotidie decem auri pondo, seruum & equū
ex imiæ pulchritudinis tributi nomine daturū polliceba-
tur. & insuper pacis cōfirmatione impetrata, quo melius
Cæsar posset Mardaitas, qui iam nō ultra XII millia erāt,
Libano mōte amouere, medium Cypri Armenię & Ibe-
riæ annuorū tributorū partē ei concessit. Deinde hac pa-
ce confirmata, & Mardaitarū ferociissimorū hominū me-
tu liberatus, Ciafam aduersus Mutarē, qui sub religionis
30 specie tyrānidem in Persia occupauerat, cū magnis copijs
misit. que expeditio infelicē & ipsa exitū est sortita: quoniā
Mutarus cū exercitu occurrēs fregit eū, ac fudit. unde ma-
iorē sibi quām antea existimationē comparauit. Abdime-
licus, ut ex propinquiore loco Persicas res spectaret, in Me-
sopotamiam transit: ubi rursus multis simul calamitati-
bus iactatus fuit. quoniam Iustinianus Sclavis partim in
deditioinem acceptis, partim armis domitis, delectis ex ea

36 SARRACENICAE HISTORIAE
gente iuuenū fortissimorū circiter XXX milib. legiones
cōscripferat: quib. fretus, p̄textu ex eo sumpto, quod mo-
neta annui tributi non Romanorū signū, sed nouū Arabi
cū haberet, fœdus fregit: & Leōtio patricio cū his nouis le-
gionib. in Asiam misso, Iberiam, Albaniā, Ircaniā & Me-
diā, quæ regiones Sarracenorū parebant imperio, sube-
git. Eodemq; tēpore Saidus quidā seditioñē contra Abdi-
melicū excitauit: aduersus quē cū exercitu profectus Ab-
dimelicus, ita eū terruit, ut supplex ueniā peteret. cui Abdi-
melicus simulans cōdonauit: sed paulo p̄st clām interfici-
iussit. Excitatus etiā est hoc ipso tēpore inter Sarracenos
& aliis tyrānus, nomine Abdala Zubir, qui Musubum fra-
trē cōtra Mutarē in Persiam misit: ab eoq; Mutarus & ui-
ctus & trucidatus fuit, sed eius uictorię fructu frui nō po-
tuit. Abdimelicus enim, totis virib. aduersus eū collectis,
prēlio uictū cū exercitu deleuit: ac inde in Persidem pro-
fectus, totā illā prouinciā subegit. quo successu territus Ab-
dala Zubir, Meccā cōfugit. ad quē persequendū Abdimeli-
cus Cagianum cū magno exercitu misit, qui Mecca capta
Zubirū interfecit, & antiquissimū eius urbis idolum cū tē-
plo incēdit: & sic Abdimelicus Perside recepta, & emulis
extinctis, solusq; Sarracenicarū rerū potitus, cū s̄epius Ro-
manū Imperatorē frustra obtestatus esset, ne fœdus uiola-
ret, uires aduersus Gr̄ecos, bellum cōtra iura omnia huma-
na atq; diuina inferētes, Muamate duce conuertit: quib. a-
pud Sebastopolim inuētis, fœderis tabulas instar uexilli ha-
stæ appēdit: ac Deum (cuius illē numine interposito cōfir-
matē erāt) uindicē implorās, acie instructa in eos impref-
sionē fecit: Sclavis tamē prius pecunia corruptis. quorum
statim, ubi prēlium est initū, circiter XX millia ad Sarrace-
nos defecerūt. quē res adeò Gr̄ecos perculit, ut nullo labo-
refusi fuerint. quos illi persecuti, ferè omnes cēciderūt: &
Impator Iustinianus (nā & ipse huic prēlio interfuit) tur-
pi fuga cū paucis cōseruatus, ubi ad Leucatē peruenit, re-
liquias Sclauicę illius & nouae militiæ omnes trucidari, &
cadavera in mare præcipitari iussit. Vnde Sarraceni p̄st
impunē nō modō sua recuperarūt, uerū etiā reliquias Ro-
manas

manas prouincias inuaserūt: & Sabatius patricius, Arme-
nię pr̄etor Romanorū clade cognita ad eos se cōtulit, eis-
que Armeniā tradidit: neq; illi Oriētē uniuersum uastare,
& Christianos in seruitutē abducere desierunt. nā etiā illa
Persidis pars, quę adhuc Romanū agnoscebat impiū, à Ca-
giano subacta fuit: & Muamates cū Sclavis q ad eū trāsfu-
gerāt, Thraciā prouinciā ingressus, eā ferro & flāma uasta
uit: Romano impio interea ciuilib. discordijs ac intestinis,
odijs ita dilacerato, ut nemo illorū audaciā reprimere pos-
set. Leontius enim patricius, Iustiniano in Chersonē insulā
relegato, Imperiū occupauerat: statimq; Ioannē patricium
cū classe ad Sarracenorū Africanorū, q ex mediterraneis
quę illis ex fœdere ad inhabitandum erant cōcessa, denuō
maritimā orā inuaserāt, uim inhibendā miserat: qui Sarra-
cenos acie uiictos, Romanorū finib. expulerat. Sed cū opes
illorū in Syria totoq; Oriente formidolosę essent, & maio-
res copias ijs qui in Africa degebāt Sarracenis ab Abdime-
lico auxilio submitti crebris rumorib. nunciaretur: Ioan-
nes se nimis paruū exercitū ad eām prouinciam tutādam
habere ratus, Byzantiū, ut nouas à Leontio in supplemen-
tum copias acciperet, exercitu in Africa relicto petijt. Sed
dum hęc nimis lentē à Leontio comparantur, Abdimeli-
cus suorum qui in Africa erāt statū cognito, iacturāq; ini-
quo ferēs animo, classem ingentē mittit ad prouinciā reci-
piendam: cui cū Romana clāssis impar esset, inde rece-
fit: cumq; in Cretā peruenisset clāssis, p̄ncip̄es partim tur-
perati Africa amissa, & hostib. cōcessa reuerti: partim ira
in Imperatorē, qui tam segniter bellicas res tractāret, com-
moti, classiarios ad defectionē cōcitāt, ac ut Absimaru Im-
peratorē salutent suadent, quę & Tyberiū nominārunt. is
cum copijs Byzātiū cōfestim profectus, Leōtiū imparatū
offendens, statim urbe est potitus, & Leontiū trūcis narib.
in tūncula cōiecit. Sarraceni uerò Africā totā Romanis un-
diq; pr̄esidijs pulsis occupārūt. erāt aut qui tūc Africę ma-
ritima loca habitabant, magna ex parte Gottici generis.
Hic Tyberius statim ubi imperio potitus est, Heracliū fra-
trē suū cū maximis copijs in Asiā cōtra Sarracenos misit.

38 SARRACENICAE HISTORIAE
qui in Syriam irrūpens, Samosata usq; progressus est: fini-
timaq; loca omnia populatus, circiter ducēta millia illorū
cēcīdit: captiuisq; plurimis, & ingenti prēda parta, magnū
eis terrorē iniecit. & eodem tēpore Armeniæ principes,
Sarracenos omnes qui in Armenia erāt, per seditionē tru-
cidarunt: ac legatis ad Absimaru missis, Romanos denuō
in prouinciā receperunt. quā Muamates magnis copijs a-
dortus, iterum Sarracenico subiecit imperio, ac principes
populi uiuos cremauit. dein Ciliciā quoq; inuasit, totā eā
uaſtans: nō tamē sine magno suo malo. quoniā Heraclius 10
cū eo cōgressus, magnā eius exercitus partē deleuit, ceteris
captis: quos Cōstantinopolim ad Imperatorē uinctos mi-
sit. quo tēpore obiit Abdimelicus, regni sui an. XXI. Dixi-
mus suprà, Abedramonē quēdam ex Maraunia stirpe ini-
tio Abdimelici pōtificatus in Mauritaniā secessisse, & tātā
ſibi existimationē apud suā gentem & ſectā conciliaſſe, ut
quasi alterū Califam, uel etiā Califa maiorē illum, quot-
quot Sarraceni in ea prouincia degebant, uenerarentur:
ſed quia bellicis rebus ſe nō immiscebat, & remotior erat,
Abdimelicus eū ut alios nō eſt persecutus. uerum tamen 20
eius nomē etiā in Arabia magnum fuit. is moriens filium
reliquit Vlitū nomine, qui Abdimelico in pontificatu ſuc-
cessit, Miralmuminus & ipſe appellatus, An. Salutis Chri-
ſtianę DCCVIII. quo imperāte, Armenia Sarracenis pul-
fis iterū ſub Romanorū rediit imperiū: & Arabes in Ro-
manas prouincias irruptiōe facta, Miftā urbem cū multis
castellis cāperūt, atq; opima prēda onuſti domū redierūt.
Deinde rursus Abatio duce in Galatiā irruperūt, eamq; to-
tā deprēdati ſunt: & Iuſtiniano Cēſare à Trebellio Bulga-
rorū rege in imperiū restituto, Sarraceni horū motuū oc- 30
caſione molto maiore quam unquā antea apparatu ex Ae-
gypto profecti, Libyā uniuersam ad Oceanū usq; occupā-
rūt. Libyam nūc dico, quia prius Africā ab illis captā oſten-
di, que Libyę pars eſt: ut intelligatur, me nō de parte tantū
loqui, quæ iam capta erat, ſed de tota. nā cū Libya ſiue A-
frica uniuersa inſtar peninsulæ à Septentrione noſtro ma-
ri, ab Occaſu & Meridie Oceano Athlātico, ab Ortu mari
Eoo,

Eo, Rubro & Arabico sinu clauditur, paruo ibi isthmo
inter Arabici sinus extremum & nostrum mare Asie con-
iuncta : Aegyptus tamen, quæ prouincia circa Nilum
fluuiorum maximum ab eius cataractis ad ostia patet, u-
nâ cum Aethiopia quæ supra illum est, à plerisque uete-
rum, atq; etiam recentiorum scriptorum Africę non ad-
numeratur. & ut Nilus fluuius huius peninsulæ Orienta-
lem partem, hoc est Aegyptum atq; Aethiopiam, in qua
Preteiannes latissimè regnat : sic Niger amnis ijsdem (ut
multi tradunt) fontibus oriundus, ac ut ille à Meridie in
Septentrionem, sic iste ab Ortu in Occasum atq; in Ath-
lanticum Oceanum defluens, Nigritarum ditissima re-
gna ab illa diuellit: adeò ut Lybia (de qua nos intelligi-
mus) Nilo & Nigri fluminibus, Oceano Atlantico &
nostro mari contineatur : quam totam, quanta ab Oc-
casu in Ortum patet, Athlas maximus mons medium se-
cat: hodie in tres partes distributa, Barbariā, Numidiā
& Lybiā. Lybia, quæ Arabicè Sarra, id est deserta uoca-
tur, Nigritarum regnis à Meridie, à Septentrione Ath-
lante monte, ab Ortu Nilo flumine, & ab Occasu Ocea-
no. Numidia, apud Arabes Biledulgerid, hoc est, palmife-
ra regio nuncupata, ab Aegypti finibus ad Oceanū pro-
tensa, Athlantis australe latus occupat : Barbaria uero
ab Ortu in Occasum ijsdem contenta finibus, quicquid
Athlantem inter & nostrum mare iacet, comprehendit.
Hæc autem rursus in quatuor prouincias est distributa:
Mauritaniam Tingintanam, quæ Marrocci & Fessæ re-
gna continet: Cœsariensem, in qua Telenini regnum est:
tertia pars Africa propriè & olim & hodie dicta, in qua
olim Carthaginenses floruerūt, hodie Africa urbs, & Tu-
nes atque Tripolis. hanc sequitur Cirenes, quæ Bugiæ re-
gno comprehenditur. Prima igitur irruptione, quæ Oz-
meno imperante in hanc prouinciam facta est, Sarrace-
ni ex Aegypto progressi, Cyrenaicam & Africam occu-
parunt. sed cum post pace cum Imperatore inita, à mari-
tima ora recedere iussi sunt, in Numidiā & Lybiā fi-
nes promouerunt: & Muauia regnante rursus in Cartha-
ginen-

40 SARRACENICAE HISTORIAE
ginensium fines irrumpentes, maritimam Africæ oram
lubegerunt. Nunc uero armis promotis utramque Mau-
ritaniam inuadunt, & sic imperij fines Oceanum & Ni-
grim amnem constituunt. Cui prouinciae Vltius pon-
tifex Mucam summa cum potestate, Admirantem di-
ctum, præfecit. Veruntamen in ea adhuc partem illam
Tingintanæ, quæ ad fretum Herculeum est, obtine-
bat Hispaniæ rex Rodericus Visigottus. Gotti enim
tuñc rerum tota Hispania, Romanis præsidijs pulsis, iam
à trecentis fermè annis potiebantur, unicum Roderi-
cum regem agnoscentes : qui non modò citeriori &
ulteriori Hispaniæ imperabat, uerùm etiam omnia ad
fretum posita in Mauritania Tingintana possidebat. Ha-
bet autem fretum in Africa tria promontoria, duos si-
nus efficientia : & in Hispania totidem promontoria, to-
tidemque sinus. Vrbes ad fretum nobiles erant, in Hi-
spania quidem Carteia, ad Calpe promotorium sita, quæ
post Tarifa dicta fuit: in Africa Tingis, unde Mauritania
Tingintana nomen habet, ad Abylē promontorium posi-
ta: & Cepta, Ptolemæo Essilissa nuncupata. Hispaniam 20
Romani uniuersam in duas prouincias diuidebant, duos-
que procōsules aut proprætores in eam mittebant: quo-
rum alter Citeriori, Ulteriori alter imperabat. Sed hæ par-
tes non semper eandem magnitudinem habuerunt. nam
cum nondum tota Hispania potirentur, citerior Hispa-
nia fluminib[us] Ibero & Pyrenæis montibus continebatur:
quicquid uero ultra Iberum erat, ad Ulteriorem specta-
bat, quæ Carthaginensium erat. Sed postquam Punicis
præsidijs undique pulsis, totam Hispaniam, quæ nostro
mari ab Ortu & à Meridie, ab Occasu Oceano Atlanti- 30
co, à Septentrione Cantabrico & Pyrenæis montibus in-
star peninsulæ clauditur, occuparunt: præter Lusitaniam
& Beticam, quicquid terrarum in Hispania est, Citerio-
rem uocarunt: illas uero quas Anas fluuius diuidit, & O-
ceanus ad Astures usque ambit, ulteriorem hanc quidem
quæ ad fretum est, Beticam, quæ nunc Vandalusiam &
Granatæ regnum continet: illam uero quæ ab Ana flu-
mine

mine ad Duriam amnem pertingit , Lusitaniam & citeriorem totam Tarragonensem uocantes . quam diuisiō nem tripartitam Geographi tradiderunt . His igitur tribus prouincijs , ac præterea Asturibus & Cantabris , qui cis Pyreneos ad Oceanum Septentrionalem sunt , nec nō prouinciae Narbonensi ad Rhodanum usque , quæ tunc Gottica Gallia uocabatur , imperabat (ut diximus) Rodericus Visigottus , cum Sarraceni imperij fines in Africa ad Oceanum promouerunt , Anno Salutis Christianæ D C C X I I . Is Julianum Ceptæ comitem , genere Visigotum , uirum fortissimum , quiq; magnas opes in Hispania habebat , & insulæ cuidam quæ nunc Viridis uocatur , in ipso freto sitæ , multisq; alijs tum in Hispania , tum in Tingintana locis imperabat , Beticæ , & ijs quæ in Tingintana possidebat , præfecerat : eiq; Hispaniæ ab illa parte à Sarracenis tutandæ , ac freti custodiendi curam commiserat . Habebat hic filiam Cabam nomine , forma præstantem : adeò ut eius forma Hispaniæ non minus perniciosa fuerit , quam Helenæ Troianis . nam eius amore captus Rodericus , siue ui , siue fraude (nam utrumq; fertur) pudicitiam eius uiolauit : quod illa quamprimum potuit , parenti indicauit . qui iniuriam dissimulans , & ulciscendi cupiditatem celans , impetrauit à rege , ut sibi Ceptam migrare liceret , quod se inde melius Sarracenorum conatus repreheme posse diceret : sicquæ omni supellectile sua collecta , cum uxore se Ceptam contulit . Deinde , ubièò peruenit , coniugem suam grauiter ægrotare fingens , regem rogauit , ut Cabam ad matrem , quæ fortasse esset moritura , uisendam ire pateretur . Nam Caba cum alijs principum filiabus (ut moris erat) in aula degebat . Deinde hoc pignore recepto Mucam (quem ab Vlito toti Libyæ prepositum fuisse diximus) adit , secessionis suæ causam narrat : seq; Hispaniæ eum dominū facturum , si modò id aggredi auderet , pollicetur . Mucas rem totā Vlito proponit , cuius uoluntatē præterire in re incerta nō audebat . à quo respōsum accepit , rem difficilem esse quæ proponebatur : nec intam graui negocio temerè homini callido , & ab ipsorum

f religione

42 SARRACENICAE HISTORIÆ

religione alieno, credendum. Sed tamē ut Comitis fidem experiretur, paruo ei militum numero tradito: cui si res initio bene succederet, postea maiores copiæ submitti posse: tentari posse. Mucas igitur, et si Comitis oratione ita permotus fuisset, ut rē omnino benè cessuram crederet: non ausus est Vliti mandatum prēterire. quamobrem dum quendam ex suis, nomine Tarifem Auenzarcam, cum centum equitibus & quadringentis peditibus Iuliano tradidit. qui omnes, quatuor nauibus, in insulam parvam, in sinu illo quem Calpe mons facit, sitam transuecti sunt, quæ pōst ab hoc Tarife duce Gelzira Taref dicta fuit: quō Julianus amicos suos & propinquos omnes aduocauit, & cōmodis quę ipse regi sua opera, laboribus ac periculis dederat enumeratis, eiusq; ingratitudine & filiae studiis iniuria indicata, animum suum eis aperuit: addens etiam, eum iniustè illud regnum obtinere, quod ad Vitizę filios hæreditario iure spectaret: idcirco rogare se illos, ut sibi in tam iusta caussa adesse uellent, seq; totis viribus iuuarēt, uenturū proximo anno cum exercitu ad rem perficiendam idoneo. Quib. rationib. permoti omnes illi, cū tempus foret, suam operā sunt polliciti: & hoc animo domum quisq; suā redijt. Julianus uero, ut belli initium faceret, Gades insulam in exteriore Oceano prope fretum sitam petijt, quæ pōst Alzira Dalfrada est dicta: eamq; totam ferro & flamma hominibus in seruitutem abductis uaastauit. inde Lusitaniæ ac Beticæ oram pari clade afflixit, & spolijs oneratus in Africam redijt. Quo uiso Mucas id satis bonum initium ratus, ei duodecim millia Sarracenorū eodem Tarife duce adiecit, cum quibus ille ad Calpes promontorij radices appulit classem: qui mons postea ob id Gabel Tarif, id est mons Tarifius est appellatus, & nūc Gibel terra nuncupatur: & copijs expositis Carteiam urbem, quæ pōst ad nostram usq; ætatem Tarifa dicta fuit, cœpit. cuius rei rumore per Hispaniam diuulgato, Iuliani comitis propinqui quām maximis potuerunt virib. collectis, se ad hos Sarracenos repellendos ire singentes, eō contenderunt, seq; illi adiunxerunt: & sic viribus coniunctis

iunctis, Betis fluminis, qui hodie Guadalouir uocatur, o-
ram, Andalusia, siue à Vandalis Vandalusia uocatam, ma-
gna ex parte ferro & flamma sunt populati. Interea Rode-
ricus quanta potuit celeritate maximo exercitu collecto,
Ignicūm, patruelem suum, contra hos misit : qui sæpius
infeliciter cum illis congressus, tandem etiam cum suis
omnibus deletus fuit. Sarraceni uero magna populatio-
ne facta, præda onusti, ingentemq; mortalium multitudi-
nem in seruitutē abducentes, in Africam redierunt. Quo-
tempore Vlitus in Asia, dum se ad bellum Constantinopo-
litanū parat, obiit. & post illum factus est pontifex Zulci-
minius, Abdimelici filius: quo regnante, Sarraceni Byzan-
tium secundò obsederunt. Statim enim, ubi pōfificatum
est adeptus, Malsanam cum terrestribus copijs, & Au-
marem cum nauali classe Byzantium uersus misit : ipse
autem cum maiori exercitu subsecutus est. Sed hunc tam
ualidum conatum aliquantis per repressit Leo, Armeniæ
prætor : quem dum ipsi fallere nituntur, ab eo decepti
fuerunt. qui locis opportunis occupatis, transire eos non
est passus. Interea Mucas ex Africa ad Zulciminium no-
uum pontificem salutandum ueniens, ei Hispaniæ res nar-
rauit : quamobrem ille imperij in immensum propagan-
di cupiditate accensus, ut Tarifem rursus cum maioribus
copijs in eam prouinciam mitteret, illi iniunxit. Mucas
igitur in Africam reuersus, sequenti anno cum ingenti e-
xercitu, Richila, Tingis urbis comite, Iuliani propinquo,
cui parum fidebat, obside retento, in Hispaniam traiecit.
quibus copijs in proximam oram expositis, Rodericus
quanta potuit celeritate proximarum prouinciarum co-
pias collegit, & Gottalaniæ (quæ nunc Catalonia uo-
catur) populis olim Laccetanis appellatis : ne non Ibe-
riæ, quæ nunc Tarragona, siue Aragon uocatur : atque Can-
tabris, qui hodie in regno Nauarræ sunt: & ijs qui Gotticā
Galliam incolebant, in qua sunt urbes Tolosa & Nimis,
ad Rhodanum usq; non expectatis eis ad Bedalacem flu-
uium, qui à ueteribus Betis dictus fuit, prope Xerez op-
pidum, occurrit. Sarraceni tunc in ea fluminis parte, in

qua Andalusia est, castra habebant: & rex in altera parte, in qua Castiliæ regnum est, metatus erat. Betis enim fluuius ex Ortospeda monte, in Tarraconensium finibus oriundus, in Oceanum freto proximum decurrens, Andalusiam & Granatæ regnum à Castilia diuidit: mediumq; Beticam, quam Anas fluuius ex eodem monte oriundus terminat, intersecat. Lusitania uero, Tarragonensis prouinciæ Occidentale latus claudens, ab Anasi ostio recta linea ad Duriam ducta excurrit, & Castulonensium fines ab Asturibus Pisguerra fluuius dirimit. In hoc 10 igitur loco primùm cum illis, quarto Nonas Septembris, qui dies Domino erat consecratus, Anno D C C X I I I I , prælium inijt. Pugnatum est ferocissimè pro transitu fluminis: dum hi transeunt, illi prohibere conantur, pari ferè utrinque fortuna. quamuis Hispania iam duos annos annonæ penuria & pestilentia afflita, non eæ vires adessent exercitui, quæ antea solebant: & homines qui iam centum quinquaginta annorum spacio nulla bella uiderant, ocio eneruati, penè omnem disciplinam militarem, & armorum usum amisissent, & armis insuper carebant: quoniam Vitiza, qui Rodericum præcesserat, immanissimus tyrannus, arma omnia populo adempta frangi curauerat: nec eo solum die pugnatum est, sed per totam hebdomadam ad alterum Dominicum diem usque, quotidie acerrima prælia fuerunt: octauo autem die, qui fuit XI Septembris, duobus Vitizæ regis filijs, qui præcedenti nocte cum Tarife, regnum eis paternum promittente, conspirauerant, cum suis agminibus quos ducebant, se pugnæ subtrahentibus, cum Mucas copias omnes traduxisset, uicta fuit 30 Gottica acies: & Rodericus, qui primo die, quo prælium est initum, patrium, hoc est Gotticum morem seruans, aurea toga indutus, auream item coronam, & calceos aureos, omniaque gemmis & margaritis preciosissimis ornata habens, in eburnea lectica duobus prestantissimis equis ferentibus, in aciem prodierat. quod idcirco faciebant in prælijs Gotti, ut milites regem fuga euade-

euadere non posse scientes, sibi pariter aut eo in loco moriendum, aut omnino vincendum esse scirent. Turpe enim fuisset regem deserere. Quem morem secutæ multæ liberæ Italiæ ciuitates, quæ simul fœdere iunctæ erant, quandam quasi curulem sellam, cui infixæ erant sociorum omnium uexilla, ad belli usum adornârunt. quam in prælijs boues multi, ne qua exercitui honestæ fugæ ob boum tarditatem spes foret, trahebant: easque sellas Carocios appellârunt. Hoc igitur modo Rodericus rex in prælijs, quæ per septem dies commissa sunt, lectica ferrebatur, summa cum pompa. Octauo autem die rem ad extremum perductam uidens, ipse met cum alijs pugnare statuit: ideoque equum consendit generosissimum, Oreliam appellatum, & militibus suis uehementissima oratione cohortatis pugnam inijt. Sed ubi aciem suam inclinare uidit, in proximum montem secedens, regias uestes insigniaq; exuit. ac inde suorum stragem uidens, pœnitentia commotus, quod se tantorum malorum causam esse sciret: amictu mutato, in quendam Lusitanæ locum desertum confugit, ubi uirum sanctum solitariam uitam agentem inuenit, cum quo reliquum uitæ suæ tempus transegit. Nam quod illum stellam, siue Dei nuncium ducem secutum esse traditur: id quidem fieri potest, & alijs quoque accedit. uerum id, etiam de occulta quadam stella, uoluntatem ipsam mouente atq; ducente, intelligi potest. Quod uero dicunt, à sancto illo uiro cum serpente bicipiti in fouea inclusum fuisse, qui eum bidui spacio totum corroserit: id ut simpliciter intelligatur, minimè est uerisimile. Nam quæ sanctitas, quæ religio, quæ denique pietas, iubet pœnitentem, & solatium afflerti animi, institutionemque meliorem quærerentem, diris cruciatibus & inaudito supplicij genere interimere? Quamobrem & illud mysticè dictum crediderim: & bicipitem serpentem esse male sibi conscientem mentem, quæ non secus ac Furiæ, eos qui aliquid magnum scelus perpetrârunt, exagitat, ut

46 SARRACENICAE HISTORIAE

poetæ de Oreste atque alijs finxerunt. Eo igitur in loco o-
bijt: & post aliquot annos Visei, in Lusitania, sepulchrum
eius fuit inuentum cum hac inscriptione:

HIC IACET RODERICVS, REX GOTTORVM
MALEDICTVS, FVROR IMPIVS.

IVLIANI QVIA PERTINAX.
ET INDIGNATIO QVIA DVRA.

VESANVS FVRIA, ANIMOSVS INDIGNATIONE.

IMPETVOSVS FVRORE, OBLITVS FIDELITATIS.

IMMEMOR RELIGIONIS, CONTEMPTOR DIVINITATIS.
CRVDELIS IN SE, HOMICIDA IN DOMINVM. (TIS.
HOSTIS IN DOMESTICOS. VASTATOR IN PATRIAM.
REVS IN OMNES.

MEMORIA EIVS IN OMNI ORE MARCESCET.

ET NOMEN IN AETERNUM PVTRESCET.

Hoc prælio Gotticus equitatus omnis extictus fuit, &
totius Hispaniæ uires fractæ: eorum uero qui ex Gottica
acie ceciderunt, numerus fuit infinitus, ex Sarracenis aut
tantū uiginti millia: quia cum illis erat Juliani factio, quæ
totius Hispaniæ arma habebat. & ingens erat illorū mul-
titudo: & qui pro rege pugnabant, penè omnes erant iner-
mes. pauci quidam fuga, quò quenq; fors ducebat, sibi con-
fuerant: & qui ex remotiorib. prouincijs auxilio regi ue-
niebant, hac clade audita, illis qui Egiciam cōfugerāt con-
iuncti, Sarraenis iam instructa acie uictoriæ cursum per-
sequentibus se se opposuerunt: & summa ferocitate nō se-
cus ac leones, quibus catuli sint erepti, pugnantes, primam
aciē fuderunt. Sed cum Juliani legionē sustinere non pos-
sent, se in urbem receperūt. Tarifes uero, ubifons est ho-
die Tarifus appellatus, castris positis, & inde oppugna-
tionem aggressus, statim urbe est potitus. Deinde Iulia-
ni consilio exercitum in multas partes distribuit, quibus
singulis duces erant adsignati: ut priusquam Christiani
consilium aliquod capere possent, aut uires colligere, o-
mnes simul ubiunque essent, opprimerentur, Vitizæ
filijs & Opasio episcopo eos ducentibus. Itaque exercitus
unus

unus Malaccam, quæ hodie Malega dicitur, Beticæ ad nostrum mare portum, quem citò capere magni intererat, petijt: alter Cordubam, cui præerat quidam Christianus Sarracenus factus, Mageitar nuncupatus, ipse Tarifes cum tertio exercitu Mentesiam petijt urbem, ei Aquitaniæ parti quæ Pyrenæis contigua, Gienna appellatur, proximā: & illa urbe, quæ excindi quām Sarracenicū iugum accipere maluit, deleta, Toletū: inde Guadalagiarā atq; Medinā Almeidæ expugnauit. quæ urbs à mensa quadam satis magna, quæ unica gēma uiridi instar smaragdi cōstabat, in ea reperta, nomē accepit. Inde Amaiā urbem munitā cæpit, in qua ærarium erat in belli usum cōparatum. Pōst regionē Gottici campi appellatā ingressus, Asturicā & Ge-
gionem, quæ hodie Gigion uocatur, urbes Mugnuza duce Gotto tradente cæpit: & Mugnoce, qui Gottus & ipse erat, Cerdanię regulo adiuuāte, Gottalaniā subegit. quam obrem Sarraceni eum locis Cerdaniæ finitimis præfecerunt: alter exercitus Granata occupata, Murtiam & Horī huelam petijt, ubi cruentum p̄lūm inter nostros & Sar-
racenos in campis qui hodie ob id Sangonerij uocātur, fuit cōmissum: in quo cum Sarraceni uicissent, ciuitas deditio-
nem fecit. Pōst idem exercitus Valentiam petijt: & Va-
lentinis qui ad pugnam egressi erant fusis, cum urbem uiderent muro ac fossa munitam, deditio-
nem eam accēperunt ea lege, ut Christiani in ea templum unum ad habi-
tandum haberent, quod erat sacrum D. Basilij collegium,
hodie Bartholomæi templum appellatum. reliqua om-
nia Muamedi consecrārunt, præter illud templum quod
in Ficario foro erat, ubi Vincentius martyr interfactus fu-
rit, quod pōst Christianorum diuersorium fuit. Ciuitatem Mauri repleuerunt, Iudæis tamē in ea manentibꝫ: & pau-
cis quibusdam Christianis, qui Basilij collegium inhabitā-
runt. Quod audientes qui Puigum, Enesē oppidum, incolebant, ubi erat aliud Basilij collegium, campana magna
cū marmoreo quodā simulacro in tēplo, in redditus spem
sepulta, inde omnes aufugerunt: quò pōst Sarraceni colo-
niā Cebola duce miserūt. unde oppidum illud pōst Puigum

gum, Cebolę dictum fuit: à quo & aliud eiusdem nominis paruum oppidum fuit conditum. & hoc paēto Valentia, Sogorbes, Tortosa, Lerida, Barcinon & Sarragotia, cum tota Hispania, in Sarracenorum potestatē uenerunt. Tarraconem uerò, quia diutius obstitit, penitus deleuerunt: quæ pōst à Bernhardo Toleti metropolitano, Urbani II. Rom. pont. iussu, anno MX C, iterum fuit ædificata. Hoc modo quatuordecim mensium spacio subiecta fuit Hispania tota: quod illis facile fuit faētu, populo præsertim armis & ducibus spoliato, & Opasio Sibiliæ metropolitano ¹⁰ populos ad deditiōē cohortante, ac ipsis & religionem & iura omnia quibus antea fruebantur, integra fore promittente. quod tamen nisi in paucis quibusdam locis seruabatur, ut Valentiæ, Sibiliæ ac Toleti, in quibus templum quædam reliquerunt Christianis inhabitanda: unde adhuc hodie Toleti in augustissimo urbis templo, in facelio quodam sacra Mozarabica, id est cum Arabico mixta, appellata celebrantur, quæ ab eius temporis antistitibus iuxta D. Leandri institutum fuerunt comprobata. Post has uictorias quotidie Sarracenorum numerus in Hispania crescebat, adeò ut nō solum religionem Hispani tunc mutarint, & mores: sed & linguam corruperint, & urbium, oppidorum, montium, fluuiorum, aliorumq; locorum omnium nomina sint mutata. Multi tamen in Galiam, Angliam, Italiam, Græciamq; ad opem ab alijs Christianis principibus implorandam confugerunt: alij illam Pyrenæorum partem, quæ in Astures instar brachij penetrat, & intra Oceanum Aquitanicum extenditur, insedebuntur: & qui cum Sarracenis manferunt, ubique antistes atq; pastores, uiros sanctitate claros habuerunt. Sed ²⁰ in Asturibus primū Hispaniæ salus nata est: quæ regio nō modo à barbaris intacta fuit, uerùm etiam prima cursum illorum est remorata: ibidemq; & antiqua Hispaniæ lingua est conseruata. quod, ut qua ratione factum sit, melius intelligatur, est nobis totus Pyrenæorum tractus breuiter describendus. Hispaniam Cheronesi siue peninsulae formam habere diximus, cuius Borealis pars isthmo ³⁰ Galliæ

Gallie coniungitur, & Pyrenæi montes ab Ortu hyberno ad Occasum estiuum porrecti instar muri eam claudunt. Isthmi latitudo est circiter CCLXX. M. P. Sed Pyrenæi in maiorem longitudinem extenduntur. nam ubi ad Oceanii Cantabrii angulum, & quasi sinum, qui Hispaniæ Septentrionale latus claudit, peruererunt, quasi brachiū quendam intra eum sinum rectâ in Occasum æquinoctialem immittunt: quod Cantabricum mare à Septentrionali Hispaniæ parte arcens, in apertum Oceanū usq; porrigitur, qui occiduum Hispaniæ latus claudit. hi mon tes quâ Galliam spectant, prorsus steriles sunt: quâ uero Hispaniam, arboribus pleni, & oppidis ac uicis frequentes. Horum igitur descriptionem ab Oceano ordiemur, ubi in Hispania Guipuzquæ regioni coniunguntur, in Gallia uero Vasconum finibus adhærent. Ab Hispania Stephanii uallis est, supra quam Besaca & Guciutha sunt, Var dulorum oppida, Nauarræ regioni quæ Cantabriam & Asturiam continet finitima: hinc colles ex Pyrenæis manantes, Bassam, & Squa, quæ Rocida siue Ronus ualles appellatas efficiunt: ab Gallia uero, prope Vasconum fines, Ioannis Pedepoerti fanum, locus munitus. Prope Rocidam uallem, brachium illud quod diximus, ab his intra Oceanum immittitur, per Galiciam siue Gallecos & Astures, ad mare magnum usque porrectum. Sed post Rocidam uallem in Ortum progredientes, Salazarri uallem, in qua est Ociogauia oppidum, efficiunt: inde Roncalis uallem, in qua est Isaua: & Tarraconensis atque Nauarræ, quæ olim Nagiera uocabatur, regnum finis. ab Gallia Bearnæ oppida sunt. Sequitur deinceps Camfranci iugum: cui in Gallia finitimus est Perianeræ ager, & Vrdos: in Hispania, Villa noua, antiqua urbs & nobilis, Iaca, Christinæ fanum, & Iohannis Pigniæ fanum: & in eodem tractu inferius, mons Aragon. Hosca, à qua Occetani, & Cæsaraugusta, hodie Saragotia appellata. Ex monte qui Christinæ fano imminet, oritur Aragon fluuius. & quia ex Roncaliæ uallis montibus oritur aliis paruus fluuius Aragon mi-

g nor, siue

50. SARRACENICAE HISTORIÆ

nor, siue Subordam nuncupatus, hic Aragon maior uocatur: & regio interiecta, ab ijs Aragonia dicta fuit. Sequitur in Pyrenæis Gauas mons, ab Gallia Larunti Bigerorum, ab Hispania Teniæ agro finitimus: quo in agro oppida sunt Salentū, Helenę fanum, & Biesca. Ex Gauas iugo oritur Gallicus amnis, qui per Teniam uallem descendens, prope Cæsaraugustam in Iberum influit. Dehinc sequitur Horcæ iugum omnium asperrium, cui ab Gallia finitimus est Aruntis ager, & ab Hispania eadem Tenia uallis. tum Tarlæ iugum, ex quo oritur Ara fluvius, qui 10 post Cnicæ amni prope Inzam oppidum commiscetur: ab Hispania Broti, ab Gallia Voteiam Guiennæ ualles habens. In Broti ualle sunt hæc oppida: Torla, Bro-
tum, Oto, Linares, Faulum, Bressa, Sarbise, Aierue, Laresitalla, Scartinum & Giasa. Sequitur Bielsæ iugum, ex quo Cnicæ fluminis pars oritur, & Bioi uallis: infra uero in hoc ipso traectu, Sobarbria regio: tum in Pyrenæis, Gistau uallis: ex cuius montibus oritur alter Cnicæ fluminis ramus, qui Sobarbriam regionem irrigans, Segrem amnem prope Scarpum excipit, & 20 in Iberum prope Meschinentiam labitur. In Gistaui ualle nobiliora oppida sunt hæc: Gistainum, Senias, Serbetum, Ioannis Carauelis fanum, Plaunum, Poma, Gistaina, Cerquetum, Lamiana, Catalauigna, Badainum. Post hæc in Pyrenæis Bonasia uallis, & Ribagorgiæ tractus, in quo sunt Gabaleria, Grau-
sium, Benauarrium, Peralta & Paniellum. Inde castrum Leonis iuga, quibus subiacet Arani, siue Fiscalia ualis, quæ hæc oppida habet: Biollam Fiscalem, Lardies, Vorastrum, Iusti fanum, Ligarium, Aretisa, 30 Sciabierre, Olaliæ fanum, Acortum, Tricasium, Abesum. Planiesum, Felicis fanum, Sason, Silues, Spierulum, Ascasum. & infrà est Solana uallis. Rursus in Pyrenæis sequuntur Petræ Blaniæ, Altalauaccæ, ubi transitus est, Torri, & Pimorentis atque Pallasiij comitatus oppidorum iuga. his subiacet Henui uallis, in qua sita est Valentia, Pallasia: tum Andoria iuga, ubi transi-

transitus ex Hispania in Galliam est, cum eiusdem nominis ualle, cui erregione in Gallia est Azachsium in Aquitania. Hactenus Nauarræ loca. Dein per Cerdaniam mons Bellamir, uallis Bibesia, mons Liuia, & Persæ iugum. Post Rocilionis agrum ingrediuntur, erregione Puigiualedij, Caudiesij, Arotonij, Galamij fani, Perpertasæ, Eitori & Leocatae oppidorum, ubi ad mediterraneum mare desinunt. in quorum fine in Hispania est Salfes arx munitissima, copiosissimum intus fontem habens: ubi olim Gerunda fuit, & erregione in Gallia Veneris templum. His erregione in Gottalania respondent alij montes, qui minores Pyrenæi, uel Antipyrenæi nuncupari possunt. hi ad locum Cobliure dictum, à mediterraneo incipientes, Pertusium, ubi Bella guarda est oppidum Darnilsum, Campredum & Canigum excurrunt, montem præstigijs dæmonum celebrem. inde ad Nuriæ uirginis fanum: ubi Segrius amnis, qui Leridam alluit, oritur. Iunonis collem, Pandisium, Cadium, Vansam, Organam: quam Segrius amnis iam magnus, qui in Gottalania Naualis aqua uocatur, alluit. atq; ibi rursus aliis mōs incipit, qui ad Setcomelsium oppidum usq;, & Callagatium porrigitur: ubi Nogera, Pallaresiæ fluuius, montes hos terminat, quib. in montib. multa sunt oppida. ex hac igitur descriptione, quæ nam horum montium pars tunc in Saracenorum potestatem uenerit, facile patebit: & quæ illis obſtiterit. Nam cum diximus, Mugnociæ Cerdaniæ principem sese Sarracenis dedidisse: sciendum est, totam Cerdaniam regionem eis subiectam fuisse, quæ Pyrenœorum partem mediterraneo mari proximam, ubi Salfes nunc est, ad Arani uallem usq;, totumq; Lampurdanum, Puigcerdanū, Rocilionensem & Pallasium agrum comprehendit. Sed tamen quia tractus hic ualde alpestris est, multi Christiani in his montib. & syluis manserunt, claram in oppida ad cōmeatum capiendum irruptentes, & Saracenos semper ex opportunis locis infestantes. Contra quos exercitum duxit Mugnoce, uir immanissimus: qui quod regionis & locorum peritus esset, magnis eos

cladibus afflixit. Nec non in ea Pyrenæorum parte, in
qua Benacum est, Ribagorzam, Camfrancum, & totum
eum tractum ad Gistaui & Bielsæ ualles usque occupâ-
runt. nec ulterius sunt progressi, castellis & munitis lo-
cis, tum quæ prius ibi erant, tum quæ tunc temporis in
hunc finem ædificata fuerunt, impedientibus: cuiusmo-
di erant in Sabarbria regione, Arcussa, Castellacium,
Castellum Monclusij, Scaniella, Clamosa, Abizanla,
ubi Sobarbriæ regis arx est: & in altera parte Builum,
Buesa, Vicienifanum, Castellones, & pleraque alia. quo in 10
tractu conseruati sunt Christiani illi, qui Garziam Scime-
nesium Tarragonensium regem creârunt: & apud eos
mansit lingua illa qua Gotti tunc in Hispania utebantur
incorrupta. In ea uero Pyrenæorum parte quæ Oceano
propinquior est, hoc est in Roncalia, Salazaria, Squala,
& Stephani fani uallibus, hisque finitimis locis, ut Alaba,
Cantabria, & alijs huius oræ, Christiani tam ab Sarrace-
norum iniurijs tuti & remoti degebant, quam prius ab
Romano imperio intacti permanferant: linguam etiam
suam antiquissimam ad hodiernam diem conseruantes, 20
quæ ab Armenica corrupta est: nec non & montes illi-
rectâ ad Oceanum Occidentalem intra sinum porre-
cti, quos Astures incolunt, ab Sarracenorum tyranni-
de liberi manserunt. & ij quoque Gotticam linguam re-
tinuerunt, nonnihil tamen immutatam. Qua in parte
primùm Hispaniæ uires simul colligi cœperunt. Pela-
gius enim, cuius patrem Fafilam Vitiza rex, ut uxore
eius ad libitum frueretur, interemerat, Vitizæ insidias
metuens, in Logroniam urbem, quæ olim Cantabria di-
cebatur, confugerat: ibique apud Petrum Cantabriæ 30
ducem simul cum sorore, quam habebat, formosissi-
ma degelat. Sed Roderici clade, & Sarracenorum in-
uictoria persequenda celeritate audita, unâ cum sorore
se Gigionem contulit, eum locum tutiorem ratus: cum-
que Mugnuza, Gigonis dux, contra spem ipsius se Sar-
racenis coniunxit: Pelagius nihilominus simulans a-
pud

pud eum ducem mansit , donec Magnuza sororis ipsius amore captus , ut ea liberè potiretur , Pelagium Cordubam ad negocia quædam cum Sarracenorum principibus tractanda misit . & pòst illo absente , sororem eius falsis matrimonij promissis deludens stupravit . Qua de re Pelagius statim , ubi rediit à forore , certior factus , cum illa in alpestria loca secessit . quòd ægrè ferens Munguza , Tarifæ dixit , Pelagium aliquid contra Sarraceni imperij maiestatem moliri . Quamobrem Tarifes ducem unum , cum cohorte militum , ad Pelagium , si posset , comprehendendum misit . Iamque milites Bretonum , quo in oppido Pelagius erat , peruererant : cum ipse à Christiano quodam , qui cum illis erat , & consilia illorum nouerat , admonitus , equum conscendit : & ad Pioniam fluuium currens , eum (quia magnus erat) transnatauit . Quod cum , qui persequebantur , facere non auderent , manus illorum effugit , & in Canicam uallem mœstus peruenit : ubi Dei prouidentia obuios habuit multarum Cantabriæ & Asturum ciuitatum atque oppidorum magistratus ac optimates , qui ad se cum suis ciuitatibus Sarracenis dedendos ibant . Ex quibus cum itineris cauſam cognouisset , talem ad eos orationem habuisse traditur .

Equidem horum temporum calamitatem non sum opere deplorare non possum : & nisi id impium foret , fata accusarem , quæ ortum meum in ea tempora distulerunt , quibus tot meæ gentis strages , & (quod maius est) tantam ignominiam , tantumq; Dei contemptum uiderem ! nam à quibus nunc magis Dei honor & gloria contemnatur , non facile possum dijudicare : à barbaris ne , qui in tenebris , quas mentibus illorum dæmon ille Mu medicus offudit , degentes , & uerum Deum , eiusque cultum ignorantes , templa , in quibus Deo immortali honores haberi solebant , eiusque cultui dicata prophætant : infantes , quos Christus ad se duci iussit , in prima ætate impijs ritibus & religione imbuunt , nefandisq;

sacris initiat: uirgines ac mulieres uerā religionem agnoscentes decipiunt, rapiunt, & concubitu suo non secus ac dēmones foēdant: mortalesq; cunctos, quos semel in potestate habuerint, dira seruitute premūt: nec solum fortunis, coniugibus ac liberis captiuos spoliant, corpora duro seruitio affligentes, uerū etiam omnem cultū adimunt, & deniq; impia religione Dei gloriam obscurant, & animas in Tartara detrudunt. an uerò à uobis, qui de benignitate ac potentia Dei, quē nouistis pro salute uestra sanguinē profudisse, à quo salutē æternā uobis datam esse scitis, 10 ac cuius beneficio tot adiumenta habetis certissimā uobis de hostib. uictoriam promittentia, desperantes, ultro imp̄ijsimum iugum ceruicib. uestris imponere uultis? quasi nulla amplius spes salutis esset: quasi Deum nullum habere retis, à quo auxilium sperari posset: uel quasi nulla munimenta possideretis: & quasi non longe satius esset, fortiter pugnando breuem hanc fragilemq; uitam cum semper terna, cui ingens quoque gloria adiuncta sit, commutare, quām ea quæ suprà enumeraui perpeti. & tamen qui Romanis orbis terrarum domitoribus obstitistis, qui ab omnium mortalium fortissimis uiris, quibus Germania, Britannia, Gallia, Hispania, Græcia, & omnium terrarum regina Italia, Europa uniuersa, totaque Africa & Asia parebant, debellari non potuistis: qui optimè instituti imperij leges potestatemq; detrectastis: qui denique aduersus Gōttos, eiusdem imperij uastatores ferocissimos soli inuicti mansistis: uos (inquam) nunc totius Europę uirib. integris, Hispaniæ tantū apertis locis partim proditio- ne, partim Roderici regis imprudentia occupatis, qui facto eum ad tot nefarijs facinoribus debitum excidium tra- 20 hente, ijs uiribus quibus patriæ proditorum acies frangi poterat non expectatis, temerè cum hostibus congressus, & insidijs suorū circumuētus, temeritatis ac flagitiorum suorū poenas dedit: quæ tamē à capite (ut necesse erat) in reliqua etiam membra redundarunt ultrò, uilissime, ignauissimæ, simulq; imp̄ijsimæ gentis intolerādum iugū subire & accipere uultis. Si Deus ob nostra flagitia ita auer- sus à

sus à nobis esset , ut nullas nostras preces admitteret
(quod tamen nunquam crediderim, cum pœnitentes, &
auxilium suum implorantes deserere non soleat) & reli-
quus terrarum orbis Sarracenis pareret, nullaq; munita
loca nobis superessent : præstaret tamen fortiter mor-
tem oppetere, quām illa uidere & pati, quæ ab his nobis
erunt perforanda . Bruta animantia & sylvestres feræ, si
catuli ipsis rapiantur, summo furore raptores persequun-
tur : quos si inuenerint, stritorum gladiorum acies, mor-
temq; pro suorum uindicta contemnentes, se in extrema
pericula coniiciunt : & uos qui uiri estis, quibus naturali
liberorum educationem dedit, non solum ut alijs animan-
tibus procreationem, & nutriendi curam : quiq; eos in
uero Dei cultu, ut uitam inde sempiternam consequan-
tur, instituere debetis, eos sponte accersetis, qui post libe-
ros uestros à uobis & simul à Dei cultu abstrahant . Vbi
nunc est illa antiqua fides , pietas & religio , cum pueri
nōdum pubertatis annos ingressi, & sanctæ uirgines dira
omnia perpeti, quām deos illos colere , quos (quamuis
falsos) fortissimæ & sapientissimæ gentes passim cole-
bant ac uenerabantur, maluerunt ? Vbi illi qui pro liberta-
te tot bella gesserunt ? Fornaces, eculei, gladij, secures, om-
nia suppliciorum genera olim pueros ad idolorum cul-
tum flectere non poterant : & nunc uiri adulti , & uiri
omnium gentium fortissimi , & ciuitatum principes, qui
bus sacrosancti Euangelij lux affulsit, Sarraenorum no-
men horrent, supplices illos nullis armis uisis uel auditis
adeunt . At fortasse speratis, mitius uobiscum , si spon-
te uos dedideritis , actum iri , religionem iuraque om-
nia integra fore , coniuges ac liberos inuiolatos . huius-
modi enim promissis decipere solent miseros popu-
los nefarij illi , & scelesti patriæ proditores : quasi fi-
des ulla in ijs esse posset, qui dominos, qui patriam, qui
amicos & propinquos , qui Deum ipsum prodiderunt.
scilicet Valentiam urbem munitissimam, maritimam, &
clarissimam, ditione acceperunt, eadem promittentes:
& tamen statim ubi ingressi sunt, omnes aut eiecerunt,

aut

56 SARRACENICAE HISTORIÆ
aut trucidarunt, aut in suam sectam coegerunt. Toleti
idem factum, idemq; Sibiliæ, & tot alijs claris urbibus, que
hac spe, & his ueneficis orationibus deceptæ, sese illis dedi-
cerunt. Hæc exempla uos docere possunt, longè satius es-
se fortiter mori: quod quanto magis faciendum est rebus
nondum ita desperatis? Habetis montes arduos, & in ijs
multa inaccessa loca, & munitissima oppida, quibus freti
pauci ingentes sæpe exercitus fuderunt: & uos uiri, quos
cœli ac terræ natura fortes fecit, laboribus assuetos, & ha-
bitenus inuictos. multi etiam sub Sarracenis degunt, qui si 10
uos caput extollere uiderint, accurrent undiq;. Est à tergo
Gallia, hodie armis & uiris florentissima, unde haud du-
biè auxilia præstò erunt. neque enim ferent Galli hanc
ignauam gentem, quæ iam ad mediterraneum ultra Py-
renæos transgressa est, tam liberè in regni sui fines debac-
chari: & Deus ipse (si modò ad eum conuersi, uitam cor-
rigamus) nobis aderit, quo adiuuante uel centum impio-
rum millia singulis non sunt timenda.

Qua oratione permoti (erat enim Pelagius ualde ue-
hemens in dicendo, & magnæ ob prudentiam & uitæ san- 20
ctitatem apud illos populos existimationis) domum re-
dierunt, populisq; conuocatis redditus causas eis indicârūt:
Pelagium uidelicet, cuius uirtus & sanctitas iam illis om-
nibus nota erat, cum (ut suprà ostendimus) diu apud e-
os uersatus esset, miraculo ex impiorū manibus ereptum,
ipsis quasi diuinum aliquem nuncium obuiam factum,
quantum scelus committerét, quamq; perniciosum con-
filium cœpissent, ostendisse. Quamobrem cùm & ipse
tum concionibus, tum priuatis colloquijs populos ad con-
stantiam & pietatem accendere nō desisteret, communi 30
populorum consensu rex est Cantabriæ & Asturum crea-
tus, anno Salutis DCCXVII. Deinde omnes Auseuam
montem concenderunt. Cuius rei fama per Hispaniam
diuulgata, omnes Gotti qui ex barbarorum manibus effu-
gere potuerunt, spem magnam concipientes, armis arre-
ptis ad eum uenerunt: & qui id statim facere non pote-
rant, omnem occasionem attenti obseruabant. Tunc
Tarifes

Tarifes Abraemum Adcamacem, cum magno exercitu,
& cum eo Opasium, Egicæ regis filium, Sibiliae metropolitum, quem Iuliani & proditorum patriæ factionem sequutum suprà indicauimus, aduersus eum misit. Quod audiens Pelagius, cum se ad tantam multitudinem repellendam parem non esse uideret, paucis ex suis, sed fortissimis selectis, Auseuæ montis specum quendam natura munitissimum cum ijs est ingressus, reliquos ad angustias uiarum tutandas reliquit. Quò cum Sarraceni peruerterunt, Opasius his qui angustias obtinebant, ut se se Mauris dederent, multis rationibus persuadere est conatus. sed cum labor eius irritus appareret, atrox pugna cœpta est. & Sarraceni tot saxa & sagittas in specus fauces iaculauit, ut de cœlo instar nimbi pluere uideretur. Verùm Deo iacula in eosmet qui iaculauit prodigose retorquente, tot ex illis ceciderunt, aut uulnerati sunt, ut fracti retrocesserint. Tunc Christiani numinis præsentia & ope cognita, gratias Deo agentes, audacter egressi, penitus eos repulerunt. Ceciderunt in hac pugna Sarracenorum ad uiginti millia : Christianorum uero uel nulli, uel admodum pauci. nam nihil de eo tradunt scriptores : & qui Sarracenorum ex pugna euasere, cum Abraemo duce in uerticem montis confugerunt : quo uertice terræmotu, diuino miraculo, concusso, ac in Luanum fluuium, qui eius montis radices alluit, corruente, omnes interierunt. Opasius uero & Mugnuza proditores, fugientes (neque enim cum alijs in montem ascenderant) capti sunt : & Mugnuza quidem in loco qui Olaglias appellatur, ab Asturibus statim interfectus : ac Gigion urbs ad Mugnuzæ principis perpetuā ignominiam deleta. De Opasio autem quid factum sit, à nullo traditur. Mucas his auditis, Iulianum & cæteros coniuratos occulta cum Pelagio consilia agitare suspicatus, illicò Iulianum, & simul Sisibertum atque Ebasium, Vitizę filios, obtruncari iussit. & sic proditionis præmium accepunt. Quo exemplo multi ex ijs qui Iulianum sequuerant, territi, se ad Astures contulerunt: & ijs qui sub Sar-

raceno-

58 SARRACENICAE HISTORIAE
racenorum tyrannide degebant, quotidie clam ad Pela-
gium confugientibus, breui uires eius ita creuerunt, ut
qui paulo antea uix sua tuebantur, mox multa ex ijs quæ
Sarraceni occupauerant, recuperarint. Statim enim
Legio urbs, quæ hodie Leon uocatur, recepta est: nec non
Rota, Mansilia, Canicas, quæ uulgò Cangas dicitur, Ti-
neum, & alia eius tractus oppida.

C. AVGVSTINI CVRIONIS
SARRACENICAE HISTO-

riæ Liber Secundus:

Eius imperij declinationem ad Turcici initia usq; continens.



N Oriente Sarraceni apparatum, quem
superioribus annis ad Constantinopolis op-
pugnationem fecerant, irritum fuisse ægrè
ferentes: & Leonem, cuius opera conatus
ipsorū repulsus fuerat, imperium adeptum
esse audientes, ingentibus copijs collectis denuò eandem
expeditionem bipartitò sunt aggressi. Malsamas quidem 20
legatus Abydo cum magnis copijs in Thraciam transfue-
ctus, magnam eius prouinciæ partem populatus est. im-
petu in urbem regiam facto, ad Occidentalem urbis par-
tem, ubi Isthmus est, prope mœnia castra posuit, atq; ab ea
parte ipse urbem oppugnauit: Zulciminius autem pont.
e mari cum trium millium (ut multi tradunt) nauium
classe. Est enim Constantinopolis urbs cùm maxima atq;
ornatissima, tum loci natura & arte munitissima, ad
Bosphori Thracij, ubi exiguo tantum dirimente freto Eu-
ropa Asiæ penè coniungitur, fauces, quibus in Proponti- 30
dem exoneratur, sita: ubi modicus sinus ab Oriente in Oc-
cidentem sinuosis portuosis lateribus panditur, ob id e-
tiam Cornu appellatus, quod septem urbis collib. in eum
prominentibus multiplices quasi ramos, ut cerui cornua,
habeat. inter hunc sinum & Propontidem mons quidam
excurrit, peninsulæ siue Cherronesi formam habens, qui
ab Occasu in Ortum circiter XXX. stadii, nō tamen admo-
dum in

dum in altum assurgens, qua Propontis est perpetuo iugo eius faucibus obuerlo excurrit: à Septentrione uerò, qua in Cornū (quem sinum esse diximus) uergit, septem habet annexos colles, ex quib. quatuor in sinum prominent: & qui Bosphoro alluitur, maximus est, & quasi trianguli basim efficit. nam triquetra est peninsulæ & urbis forma. Habet hic duo promontoria: unum, quod Propontidem intuetur, Occidentale Hebdomi: alterum Septentrionibus obuersum, quod sinus fauces à uentorum iniuria tutas reddit, Chrysoceras nuncupatum. à quo si lineam ad septimū & intimum omnium collem, qui sinum itidem ab Occidentali uento tuetur, ducas, Galatae siue Peræ planiciem intra arcus, quem perpetuum Cherrone si iugum facit, sinum incluseris. Sinus longitudo circiter sexaginta stadiorum est, in cuius intimo recessu Cydri & Barbyæ fluminum ostia sunt: latitudo autem uaria, ubi maxima sex stad. ubi uerò minima trium. Fauces eius angustissimæ sunt. nam & ab Septentrionali parte, in qua Pera est oppidum, promontorium in Meridiem obuersum prominet Metopicum atque Cyclobium: & item aliud ab Asia, medijs sinus faucibus obiectum, Damalicum appellatum. Cherronesus hic ab Occasu, qua in parte continentē Thraciam habet, isthmo sinum hunc à Propontide separat. Isthmi latitudo est, ubi septimum collem & interiorem urbis angulum contingit, L. passuum: ulterius uerò maior. In hac igitur peninsula sita est Constantinopolis, olim Byzantium appellata: cui in altero sinus litora oppositum est Pera oppidum, olim Galata appellatum, quatuor & ipsum promontoria in Cornutum senum immittens: & in Asia ex opposito, Chalcedon. Sinus siue portus fauces, ubi angustissimæ sunt, catena clauduntur, quæ ab Pharea turri ad Chrysoceram promontorium ædificata, ad Galate promotorium Metopicū, ubi aliud propugnaculum est, trahitur: urbs ipsa triplici muro, dupliceq; latissima & profundissima fossa, frequentibusq; turrib. ac propugnaculis munita est. nā circū circa planiciem habet. media uerò urbis pars paulum collib. eleuata

consurgit. totus urbis ambitus est circiter XIIII. M. P.
hanc talem & tantam Constantinus, ubi prius Byzan-
tium erat, aedificauit: Imperijq; sedem & omnia Roma-
næ urbis ornamenta in eam, non satis fano consilio, tran-
stulit. nam etsi locus ipse ad Imperij sedem aptissimus ui-
deatur, cœlum tamen & fatum hanc urbem Rom. Im-
perij sedem esse non patiebantur. Ut enim singulæ non
modò regiones, uerùm etiam urbes sua fata moresq; fuos
proprios & ritus habent: sic illa in aliud locum transfer-
ri non tutò possunt, etiam si homines ipsi & leges trans-
ferantur. Cœli namque temperies hominum mores mu-
tat, cum quibus & fata ipsa commutantur. quod sic es-
se, exitus comprobauit. Imperio enim ferè in Asiam trans-
lato, Imperatores ex ea prouincia legionesq; Romanæ de-
inceps fuerunt: quæ & Græca leuitate & ambitione in fa-
ctiōes diuisę, atq; Asię mollicie eneruate, barbarorū incur-
siones repellere nō potuerunt: cū interea Italia & Roma,
orbis terrarū arx, capite carens, atq; militari disciplina a-
missa omnibus gentibus prædæ esset. Sic imperium illud,
quod ut arbor bona, in proprio solo optimos fructus fere-
bat, in alienū cœlū & solum translatū breui interiit. Sed
ut ad institutam narrationē redeamus: Malasmas eam par-
tem à terra oppugnandam suscepit, quam in Isthmo esse
diximus inter Cornu & Propontidem, quæ sola terrestri
bus copijs oppugnari poterat: ac ut omnino cōmeatū ob-
fessis adimeret, simulq; mœnibus instaret, ita metatus est,
itaq; præsidia undiq; dispositi, ut frons castrorum quasi
cornu proxima mœnibus esset. indeq; ut se se campi ab I-
sthmo recedentes magis diffundunt, circa sinū ad fluui-
orum, quos in sinum exonerari diximus, ostia inflexa per-
tingerent. nam ingens erat exercitus, adeò ut magnum lo-
ci spaciū occuparet, inde excursionibus totam regio-
nem uastabant: & oppugnationem cuniculis, turribus,
omniq; machinarum genere tentabant. Zulciminius ue-
rò maritima classe totā urbem, qua Propontidem & Bos-
phorus respicit, ab Isthmo ad Metopicum promonto-
rium cingebat, adeò ut & Propontis & Bosphorus ex ciui-
tate in-

tate intuentibus ligno strata uiderentur. nec minus ipse
quam Malfamas instabat operi: & pontibus naualibus in
altum eleuatis, tormentis item ijs quæ illa tempestate in
usu erant, oppugnationemurgebat. Sed tanta erat pro-
pugnatorum uigilantia & uirtus, ut omnes illorum cona-
tus omni ex parte iritti redderentur. Itaque ad diutur-
nam obsidionem conuersi sunt. Verùm interea Zulci-
minio hic defuncto, Sarraceni in nouo pont. eligendo
seditionibus iactati sunt, ac ob id oppugnatio aliquandiu
10 intermissa. tandem uero Aumar, Abdimazidi filius, in
defuncti locum pontifex creatur, Anno D C C X X I.
& hyems tam sœua fuit, ut fluminibus glacie concretis,
quamuis commeatus assiduè ex Aegypto in castra uehe-
retur: tamen quia ingens erat hominum & iumento-
rum multitudo, & frigus immensum, magna illorum
pars fame, frigore & morbo perijt: & ingens illorum
manus quæ prædæ cupiditate è castris in Bulgariae si-
nes irruperat, à Bulgaris, qui in eam populabundam
impressione facta magnam stragem ediderunt, oppressa
20 fuit. ubi quidam triginta millia cæsa tradunt. Et Leo
imperator artificio quodam ignis per speculum (ut Ar-
chimedes Syracusanus faciebat: cuiusmodi speculum &
Alexandriæ Aegyptiacæ in Pharea turri fuisse tradunt,
quo, cum incolæ uolebant, solis radijs obuerso, hostium
naues, uel longè uenientes comburebant) in hostilem
classem eiaculandi, quo uel mare ipsum circa naues ar-
deret, ab architecto quodam inuento, classem illorum
ita exussit, ut paucæ superfuerint naues, quæ à Græcis
captæ fuerunt, ipsis præfectis illius ignis metu sese spon-
30 te dedentibus, & in Græcorum manus configentibus.
Interea uero cùm Mucas & Tarifes, qui Hispaniam sube-
gerant, Aumaro suspecti essent redditii, ambo ad nouum
pont. salutandum, & suspicionis causas remouendas uene-
rant: ubi Tarifes Mucam peculatus in Hispanicarum re-
rum administratione accusauit atq; redarguit: cuius cri-
minis ad pont. damnatus, mœrore cōfectus obiit. in cuius
locum Aumar Gizidum Africę præposuit: Tarifem uero

toti Hispaniæ. Itaq; Gizidus trecentarum & sexaginta na-
uum classe instruēta, cum supplémento legionum & com-
meatu Byzantium uersus iter direxit: sed ignis illius, quo
Byzantini naues consumebant, nuncio in itinere accepto
ad Bithyniæ littora prædabundus substitit: ubi Romane
legiones quæ in præsidijs erant, eos aggressę, multos occi-
derunt, ac territos repulerunt. Et nihilominus terrestris
exercitus oppugnationem urbis non intermittebat: et si
tanta fame premeretur, ut nullius animantis cadaueribus
abstineret. quin & sterlus exsiccatum comedebant, & ¹⁰
humanis quoq; carnibus manus admouisse perhibentur:
tanta tenebat eos regiæ urbis capiendæ cupiditas. Nec ta-
men minus interea Byzantij laboratum fuerat, qua in ur-
be ad CCC hominum millia pestilentia absumpserat.
Sed Aumar tot tantarumq; cladium nuncijs territus, lite-
ris ad Malsamam datis, ut exercitum reduceret, iussit:
quamobrem Malsamas exercitu nauibus imposito disces-
fit. Sed uehementi turbine exorto, omnes, decem tantum
nauibus exceptis, perierunt: quarum quinq; à Romanis ca-
ptæ sunt, reliquæ cladiis nunciæ domum redierunt. At in ²⁰
Hispania Abdeluzitus Mucę nepos, quę Mucas discedens
sibi substituerat, Egilona regina Roderici coniuge sibi ma-
trimonio iuncta, eius consilio Sibiliæ se regem appellari
iussit. Quod Sarraceni ægrè ferentes, eum unā cum con-
iuge trucidârunt: & in eius locum quendam alium Mu-
cæ propinquum, Aiubum nomine, taindiu, donec sum-
mus ipsorum Pontifex alium mitteret, substituerunt.
Hic Aiubus Bilbilis urbem, quæ Martialem poetam clarū
olim dedit, eo bello euersam, & nōnullas alias urbes in Hi-
spania instaurauit, ac de suo nomine Calataiub nuncupa-
uit, quę nīc Calataiud dicitur. Sed uarij in Hispaniæ par-
tib. regna occupantes, quo minus cogitata sua perficeret,
obstiterunt. Nā cū Cordubæ totius Hispaniæ regni sedes
& caput esset, reliquarum uero urbium ac prouinciarum
præfecturæ gentis principibus essent distributæ, singuli
Abdeluziti factum imitantes, præfecturarum suarum
se reges appellârunt. Etsic in multa tunc regna Hispa-
nia fuit

nia fuit distributa, ut Sibiliæ, Granatæ, Giaenæ, Murtiæ, Deniæ, Sciatiuæ, quæ olim Setaba fuit, Valentiæ, Tortosiæ, Leridæ, Fragæ, Cæsaraugustæ, & multorum præterea locorum quæ his minora sunt. Qui reges dum concordes inter se erant, magnis sæpe cladibus Christianam Rempub. affixerunt: ijdemq; seditionibus diuisi, Christianis Hispaniæ recuperandæ occasionem præbuerunt. Cui rei, quemadmodum suprà narrauimus, initium dedit Pelagius, qui & fortitudine, & prudentia, & miraculis, & hostium dissidijs feliciter usus, multas urbes & oppida ab illorum tyrannide liberauit. Huic se adiunxit Alphonsus, Petri Cantabriæ ducis filius, ab Richaredo Gottorum rege originem ducens, cui Pelagius Orismundam filiam in matrimonium dedit: & hi duo simul multas ex Mauris uictorias retulerunt. Et in Oriente Aumaro Califa defuncto, successit anno Salutis DCCXXII, Gizidus Abdimelici filius. quo imperâte excitatus est in Perside alias Califa Gизidus, & ipse Moalabs appellatus. contra quem missus fuit cum magno exercitu Mafabnacus, qui eum prælio uicit, Persidemq; subegit: & sic Gизidus, Abdimelici filius, solus Sarracenorum omnium Califa mansit: qui cum tres annos regnasset, obiit: & post Euelidus eius filius, Califa est creatus, qui magnis uiribus Romanas prouincias in Asia atque Europa est adortus: sed breui nulla re memoria digna gesta, se ad ocium & uoluptates conuertit. Verùm tamen iterum secundo Imperij sui anno Malsamam cum exercitu in Cappadociam misit, à quo Cæsarea urbs capta fuit, & ab altera parte Euelidum in Thraciam, qui ea populata in Syriam redijt. Hoc tempore prope Asię minoris littora, terra in fundo maris ita arsit, ut primò fumus ex eo incendio: deinde tanta pumicū accensorū copia, ut mōticuli in mari nati uideretur, supra aquas nataret, quibus pumicib. omnia Asię minoris, Lesbi, Abydi, & Macedonię littora repleta sunt, & mare ipsum ijs stratū uidebatur: & traditur tunc insula quędam prope Sacrā insulam nata esse. Deinde Euelidus Muauia quendam & Amerū duces cū XC Sarracenorū millibus

ad Ni-

ad Nicæam, Bithyniæ urbem, oppugnandam misit: qua summis viribus, & omni arte oppugnata, Christianis fortissimè propugnantibus, & illos semper magna cum cæde repellentibus: tandem re infecta, nisi quod retrocedentes Ateum oppidulum cæperunt, domum redierunt. Postmodum Gazariæ princeps, Cagani Bulgarorum regis filius, Sarracenis in Armeniæ finibus bellum intulit: & Gradaco Armeniæ ac Mediæ prætore Sarraceno prælio deuicto, atque trucidato, duas illas prouincias rursus Romano subiecit imperio. Et anno DCCXXX Malfamas cum ingentib. copijs Caucasia claustra ingressus cum Turcis, qui & Vnni Teutazites, id est gentiles tunc vocantur, intra eos montes degentibus ferocissimis populis, cruento utrinque prælio per integrum diem dimicavit, donec tandem nox uictoria adhuc incerta eos diremit. Sed Malfamas in Armeniam (iam enim cum Cagani filio pacem inierat) se recepit. Interea in Hispania Pelagiores feliciter aduersus Sarracenos gerente, & Tarraconenses, qui in montibus degebant exemplo Asturum, Garamiam Scimenecium in Iohannis Pigniæ specu, Panouio appellato, regem creârunt: & paulo post Pelagius cum regnasset annos X IIII, obiit, anno Salutis DCCXXII, cui succedit Fafila filius, qui regni sui anno secundo in sua quadam ab ursis deuoratus, nullos liberos reliquit. hi reges sedem regni Legioni, quæ Leon uocatur, collocarunt, & leonem purpureum in argenteo clypeo depictum pro insigni sumpserunt, non quidem ob urbis in qua sedem habebant, nomen, quæ non à leone, sed à militum legione, quam Nerua Cocceius Imp. ibi collocauit, nomen habet: sed quod non secus ac ferocissimi leones, pugnæ pro patriæ salute desiderio arderent. Hoc Fafila regnante, Sarraceni per eam Pyrenæorū partem, quam ad mediterraneum mare obtinebant, in Galliam transierunt. Galliam tunc Franci, Germanica gens, obtinebant: qui anno Salutis circiter quadringentesimo suis sedibus ad colonias aliò transferendas moti, ab Actio patricio Romano, qui tum Galliæ prouinciae prætor erat, eam Sequanorum

norum agri partem, quæ Germaniæ proxima est, ut aliquod aduersus Hunnos, qui Attila duce finibus suis egredii Europam uastabant, si forte in Galliam uenissent, præsidium haberet, habitandam accepérant, ob id adhuc Franciam appellatam. Erant enim Franci, populi in Germania bellocissimi, eam (ut opinor) regionem quæ adhuc Franconia uocatur, incolentes: & post paulatim finibus promotis, totius Galliæ imperium occupauerant, adeò ut Francorum nomen latissimè patéret. Sed cum
10 Franci reges uoluptatibus & ocio dediti, ab antiqua illa ferocitate degenerassent, nec quidquam per se administrârent, sed omnia per domus regiæ magistros curârent: quem honorem primus Pipinus, Arnolphi Bauariæ ducis filius, regiarum prouinciarum præfctis, qui regem imbellem uidentes, ad tyrannidem aspirabant, domitis adeptus erat. Tunc autem Theodorico secundo regnante, Caroli Martelli, huius Pipini filij secundi in eo magistratu uirtus inclyta erat in tota Gallia, adeò ut is populi princeps haberetur. Eodem tempore Aquitaniam, quæ tunc
20 Gottica Gallia uocabatur, obtinebat Eudo, Gottus & ipse, qui ei prouinciæ à Roderico rege præpositus, ubi regis sui cladem audiuit, regem se in ea fecerat. Hic Carolo Martello alijs bellis in Germania occupato, cum uicinorum locorum præfctis Francis, de finibus armis contendere cœperat, eosq; iura sua defendere nitentes multis cladibus affecerat. Quamobrem Martellus arma aduersus eum mouit. & eodem tempore Sarraceni Pyrenæos transgressi, Narbonem cæperant: in eaq; ut eo exemplo cæteris terrorem incuterent, crudelissimè sœuierant. itaque Eudo sibi difficile fore, Francicum simul & Sarracenicum bellum sustinere animaduertens, quia Mugnocem generum habebat, qui multum apud Sarracenos gratia ualebat, cum Sarracenis maluit quam cum Christianis fœdus inire. Quo Mugnociis opera impetrato, illorum auxilijs subnixus, multas Francis clades inferebat: sed cum Sarracenos omnia oppida & urbes, quas ingrediebantur, præsidijs suis munitas sibi retinere animaduerteret, serò

i errorem

errorem suum agnouit. illi enim iam Nimis siue Nemau-
sium, Monspesulam & Auenionem cum omnib. alijs cir-
cumiectis locis occupauerant. Veruntamen Eudo, ut eos
repelleret, uiribus suis omnibus collectis, cum eis pugna-
uit, & fractus fuit: cumq; Mugnoce, cuius opera foedus il-
lud initum fuerat, fidem sibi non seruari quereretur, Ab-
derama, Gottalaniæ rex, exercitu in eum ducto, illum in
Cerdaniæ arce obseedit: ex qua, cum ob aquæ penuriam
Mugnoce in alpestria loca profugisset, in aliam Sarrace-
norum manum incidit, qui eum captum obtruncârunt,¹⁹
& caput Abderamæ miserunt, unâ cum eius coniuge, Eu-
donis filia: sicq; omnes patrię proditores breui misere in-
terierunt. Itaq; hostibus, qui à tergo timeri poterant, om-
nibus sublati, Abderama in Galliam reuersus, flumen
Rodanum traiecit, multaq; Christianorū loca uastauit: &
tantam stragē Arelati edidit, ut adhuc hodie ossium ille
aceruus, qui tūc factus est, ibi extet in loco Alies campi ap-
pellato. Inde in Eudonē iterum uires suas colligentē arma-
conuertit: Tolosam, Goticæ Galliæ regiam sedem obse-
dit: qua in oppugnatione, quia urbs fossa & mœnibus, nec²⁰
non machinis & omni armorum genere, idoneoq; præsi-
dio ac reb. omnibus ad propugnationē necessarijs optimè
munita erat, magnas Sarraceni ex machinis, presertim pe-
ritorū architectorū ingenio excogitatis, & uarijs strate-
gematibus clades acceperunt. capta tamē tunc fuit à Sar-
racenis Burdegalia: & omnes ad unū in ea, etiā mulieres cū
paruis infantib. cēsi sunt, nec nō templo solo equata. Dein
de per Pythagorū fines ultra Garumnā fluuium in Sancto-
nes excurrerunt: atq; Angolismam, Blaisiumq; eueterūt.
inde per Lemouices & Pietauos in Turones deflexerunt,³⁰
ubi Martini templum donarijs opulentissimū direptū in-
cenderunt. Quibus cladib. afflictus Eudo, cū Martello fœ-
dus inīst: & sic cōiunctis uiribus Abderamā in Turonum
finib. ante ipsam urbem, trecentis septuagintaquinq; mil-
libus Sarracenis cēsis, prælio fuderunt. ex Francis milletan-
tum & quingenti desiderati. Et ne tunc tota illa Sarrace-
norū manus deleretur, in causa fuit nox prælio nondum
confe-

cōfēcto superueniēs. Abderama enim noctū clade sua cognita, sequentis diei fortunā expectare noluit: sed impedimentis omnib. in castris hostib. prædæ relictis, maximis itineribus cū ijs reliquijs quę illum sequi potuerūt, ad Pyrenęos, inde in Hispaniā redditurus, fuga cōtendit. Sed Nauarī itinerū angustijs occupatis, omnes interfecerūt: sequenti die Martellus statim, ubi sol illuxit, suis ad pugnā instrūctis, in aciem prodiit: qui hostes fugę se dedisse cōspicati, ad prædam sunt cōuersi, quæ in hostium castris opima fut̄ reperta. Eudone autē defuncto, regni eius partem Martellus suo adiecerat imperio: quamobrem filij eius Hunodus & Vaifarū Narbonensem prouinciā solicitantes, bellum cū Martello redintegrārūt: & Rhodano transmiso, summa immanitate in oppida, uicos, agros, animantia, & omne genus hominū, omnemq; ætatem & sexum ferro & flamma sœuierunt. quā procellam, prēcipuè Allobrogum ea pars quæ hodie Delphinatus appellatur, antequā Martellus iusto cum exercitu occurrere posset, sensit. Qui ubi uenit, Visigottus in uastā solitudinem, quam fecerat, recessit: & födere cum Sarracenis cautius quām Eudo fecerat, obsidibus uidelicet datis atq; acceptis, iicto, eos rursus in Galliam aduocauit: qui non iam, ut antea, sexu etate ueimbelli armatis intermixta, sed flore iuuētutis, militumq; robore delecto terra mariq; & cōmeatu instructi, Atino duce in prouinciam transierunt: ubi Auinione Mauricij præfecti proditione capta, eam urbem cum Narbone belli arcēs delegerunt. Quos liberè uagantes, Childebrandus cum ualidis copijs à Martello prēmissus, primo statim aduētu intra Auinioni mœnia cōpulit. Auinio urbs ad Rhodanum sita, tūc mœnibus, frequentibusq; turribus ac propugnaculis munita satis erat: & Atinus, eam se defendēte, nec segniter (ut certè uir fortis, & rei militaris peritus erat) rem administrante, expugnari non posse existimabat. Præsidia enim ubique locis opportunis disposuerat, mœnia, turres & propugnacula, armis, telis, machinis ad saxa in hostes eiaculanda, & ignis fomento, quò in irruentes faces accensæ projicerentur, propugnatoribusq; com-

pleuerat, portas stationibus fidissimis, excubijsq; firmârat: commeatus quoque magnam copiam introduxerat, & deniq; nihil quod ad propugnationē spectaret, prætermisserat: ducibus singulis ac centurionibus decurionibusq; sua munera & loca adsignârat. Ipse custodias uigiliasq; circumibat, laborum, uigiliarum, inediæq; patientissimus: exemplo potius quam pœnarum metu milites in officio continebat, & ad præclara fortiaq; facinora excitatbat. Childebrandus castris admotis oppugnationem tentauit: quem Atinus non modò repulit, uerum etiam castella procul ab urbe remouere coegit. Sed ubi Martellus cum suis aduenit, iunctæq; copiæ sunt, situ & munitione urbis inspecta, propugnatorumq; viribus exploratis, omnia mature & forti consilio agens, non modò erumpentes intra mœnia compulit, sed castra in pristinum locum promota muniuit. Cum enim Martellus rei militaris peritissimus esset, duces ac milites secum habebat tot bellis, quot & quanta gesserat, exercitatissimos, & castrensis disciplinæ, quam sub illo didicerant, obseruantissimos: qui siue metandum, siue castra mouenda, siue acies instruenda esset, singuli signo tantum accepto sua munera locosq; norant. Cum castra erant munienda, statim alij locum ab Imperatore diligenter exploratum, ac indicatum metari, alij uallum & fossam ducere, alij tentoria figere, alij stationes & uigilias collocare, alij extra uallum hostium in laborantes impetum arcere: si uero mouenda essent castra, singuli uicissimi partes officiaque sua norant: si in pugnam prodeundum, ordines singuli, modò qua forma acies esset instruenda indicaretur, certos habebant: & quo loco pugnantes pedem fixerant, ab eo recedere morte peius ducebant, laudis & gloriæ audi. Si oppidum oppugnandum esset, alij scalas, fasciculos alij, & turres ac pontes, quibus mœnium altitudo superatur, admouebant: & certatim mœnia conscendebant, nunquam ne in capta quidem urbe ad prædam extra ordinis uagantes, neque unquam prædæ auditate ferro seruire desinebant, dum hostes superant, qui arma non tradi-

tradidissent. Cū huiusmodi igitur exercitu Martellus ubi castra admouit, dum recēs terror erat, & militū animi feruebant, quia gentis suæ naturā norat, quē primo impetu, dum recēs est iniuria, & animus audacia atq; uictoriæ spe feruet, ferocissima: breui si bellum trahatur, ita mollescit, ut agni uideantur, nulla militi quiete data, nisi ut corpora curare possent, pugnæ signum dedit, eorumq; animos huiusmodi oratione accendit.

Nisi mihi uirtus uestra, milites, multis laborib. ac periculis meū exātlati nota, et si hostis ignotus esset, multis uos uerbis incitare conarer: nūc aut cū uos tot bēllis inuictos expertus sim, & hunc ipsum hostē superiorib. annis longè maiorib. uiribus sibi Gallię imperiū depositē, facillimē penē ad internacionē deleueritis: mihi nō multū laboran duim esse uideo, ut spem uobis uictoriæ, quā scio uos tot bellorum difficillimorū nostro ductu feliciter confectorum exemplis edoctos, certā in manu habere faciam: nisi quis fortē existimet, difficilius nobis nūc fore hos paucos, qui ut lepores antris, sic ipsi illis mœnib. inclusi latēt, supērare: quām in Turonib. fuerit, totius penē Oriētis uires de lere. uel quasi mœnia plus ualeant in bellis, quām quadrigenta hominū millia, quorū gladij et arma simul in cumulum cōgesta, his mœnib. quae uidetis altiore crassioreq; aggere hāc urbē cingere possent. Ferro, mihi credite, nō mœnib. se tuētur uiri. & qui muris nitunt, ubi eos uirtute superatos uident, pauidi ut damē arma abijcentes diffugiunt, uel ut pecora sternūtur. Accingite igitur uos ad oppugnationē, opima in ea urbe spolia inuenturi, & uilissimū istud genus hominū cauea inclusum opprimite: digna, præter prædā, q fortius se gesserint, à me prēmia accepturi. Ego ipse nō solū cōfilio, uerūetiā manu (ut soleo) ubi opus erit, uos iuuabo: & uirtutis uestræ ubiq; testis & iudex, periculorumq; particeps adero. ite muro illo transcenso, Gallię bis liberatores conseruatoresq; ab omnib. celebrandi.

Quib. dictis, sublato undiq; clamore mœnia summa ui oppugnari sunt cœpta: scalæ, turre, pontesq; admota. exercitu in tres partes (quarum uni Childebrandus, alteri

70 SARRACENICAE HISTORIAE

Carolomannus Martelli filius, tertiae ipse Martellus, summi duces praeerant) diuiso, tripartito oppugnationem. sunt aggressi. Sarraceni saxa ingentia, ad id praeparata, deuolentes, scalas frangebant : sagittarum praeterea nimbum in oppugnates iaculabantur, & picis accensę ollas in propius accedentes coniiciebant, nullum deniq; telorum genus cessabat. Atinus ipse circum circa discurrens, & omnia prospiciens, periti Imperatoris simul & strenui militis officio fungebatur : multis qui primi murū ascendere uoluerant, audacia necē attulit. Sed Martellus cū scalæ partim ab hostibus, partim ascendentium multitudine grauitæ frangerentur, ut ab aliqua muri parte hostes deturbarer, turrim ligneā erexit, ex qua machinis quibusdam saxa ingentia in eos qui in muro stabāt, iaculabatur: in eademque multi milites sagittarij erant, eosdem sagittis à propugnatione moenium deturbantes. Hæc turris pontē habebat, qui machinis pariter attollebatur, & uicissim deprivebatur : quem qui in terra stabant, ascendere nullo labore poterant. machina tota corio bubulo tecta erat, ne ignis obesse illi posset. Itaque ea mœnibus admota (rotis enim impellebatur) pōs muri fastigio appositus, & sic statim murus Francis militibus in illa parte completus fuit. Tūc cū penè par dimicatio esset, uirtus uicit, clamorq; undiq; sublatus alijs per scalas, qui clypeis se quasi testudine facta tegebant, dum in summū uenirent, ascendentibus & cēsis uel deiectis propugnatorib. reliquisq; amissa spe dilabentibus, Atinus cum proceribus nauibus quæ instructæ in Rhodano stabant, secundo flumine aufugit: multi in fugaceſi, multi aliorū super alios ruentium multitudine obtriti: multi, dum nauib. iam discedentib. adnatant, uortici- bus absorpti. Atinus in mare delatus, Narbonē urbem munītā, opulentā, & maris auxilijs intromittēdis opportunā, quāq; alia Sarracenorū manus insederat petijt: & Martel Ius quoq; ad eā oppugnandam cōtendit. Iamq; nō minore utrinq; certamine oppugnabatur defendebaturq; Narbo, quā modō Auinio: cū Amorreus, alter Sarracenorū rex, obfessis opē ferens, Martellum in se cōuertit. Ad Illiberim fluvium

fluuium signis collatis, pugna atrox cōmissa: sed tandem,
cum Amorreus in prima acie fortissimè pugnans cecidis-
set, Francus uicit, hostes fusi cæsiq; sunt, adeò ut ne nun-
cius quidem cladis domum redierit. qua suorū clade com-
perta, Atinus, & qui cum eo Narbonæ erant, classe Gallia
decesserunt. Hoc tempore Mauris tota Aquitania pulsis,
nouem proceres ex Martelli exercitu, uiri fortes, Sarrace-
nis in Gottalania bellum intulerunt: & Martellus obiit, ei-
que successit Pipinus alter filius: in Oriente aut Malsamas
10 Thraciæ, quæ nunc Romania uocatur, fines populatus,
Cursianum munitissimum Cappadociæ oppidum occu-
pauit. Deinde iterū ad Caucasia claustra cū exercitu pro-
fectus, ea ab Vnnis siue Turcis ita munita reperit, ut cum
eis congregari nō ausus retrocesserit. Et biennio post altera
Sarracenorū manus Euelito, Mauniæ filio, duce rursus in
Thracię fines irrupit, magnaq; populatione facta in Syriā
redijt: qua in prouincia multa Sarracenorū millia morbo
interiérunt. Nectamē ideo ab incursionibus in Rom. im-
perijs finibus abstinuerūt. Zulciminus enim cum magno
20 exercitu Armeniā & Thraciam tertio deprædatus est, &
Sideronium oppidum cæpit: deinde in Cappadociam cū
LX mil. transiit, eodemq; tempore Melicus & Batalus cū
centū millibus Sarracenorū quartò in Thraciam irrupe-
runt. Leo uero imperator cū exercitu cōtra eos qui Thra-
ciam uastabant profectus, penè omnes deleuit. Quo tēpo
re obiit Euelitus: in cuius locū Gizitus II pontifex, Salutis
anno DCCXLIII, creatus est. qui, dum Romanū imperiū
in se diuisum erat, Cōstantino Copronymo, Leonis filio,
cum Artabasdo de eo dimicante, ad imperij Sarracenici
30 res constituendas animum conuertit. & quoniam Cy-
prus insula tunc bene habitata motus aliquos faciebat, po-
pulo uniuerso in Syriam trāslato, insulam uacuā reliquit:
& cum annum regnasset, decessit. Ices post illum, pontifi-
catum est adeptus: quo ante annum expletum defuncto,
Maruanus pontifex creatus est. In Gallia uero Pipino II re-
gnū administrante, Sarraceni denuò Pyrenæos trans-
gressi, ab eo summoti sunt: & ita mulctati, ut id amplius
eo uiuo

eo uiuo tentare non sint ausi. Quamobrem Childerico, ad quem Galliae regnum hæreditario iure spectabat, deposito, Franci Zacharia Rom. pont. admittente Pipinum regem salutârunt: atq; cum eo Carolum, qui pòst Magnus cognomento dictus est, eius filium, in regni spem unxerût. quem, cum pòst multa, propria autoritate, quasi iam rex esset, contra patris uoluntatem gereret, Pipinus in exilium extra omnes regni sui fines abire iussit. quamobrem ille multis ex Francica nobilitate eum sequentibus, se ad Galasium, Toleti regem Sarracenum, contulit: eiusq; opera usus est Galasius in bello, quod tunc contra Marsilium Saragotiae regem, itidem Sarracenum, gerebat. quo in bello Carolus, qui regis Toletani copijs omnibus præerat, fortissimè se gessit, multaq; damna Marsilio regi intulit. Pòst Galianæ regis sui filiæ amore captus, multa præclara facinora in eius gratiam patrauit: præser-
tim uerò aduersus Bramantem, itidem Sarracenum re-
gem: qui ut Galianam in uitis parentibus coniugem habe-
ret, Toletum oppugnabat: quem Carolus, cum ipse To-
letani regis milites tum Francos, tum Sarracenos funde-
ret, ad pugnam instaurandam egressus, sua manu intere-
mit. Tandem uerò, ea in hortis siue balneis extra Toleti
mœnia ad Tagi fluminis ripam sitis, qui adhuc hodie Ga-
lianæ palatia uocantur, rapta, cum illa Burdegalam con-
fugit: ubi ei magnificas ædes ad Toletanæ regiæ similitu-
dinem, qua adhuc extant, & Galianæ palatum & ipsæ
appellantur, ædificauit. In Syria uerò Maruano impe-
rante, multæ seditiones inter Sarracenos sunt obortæ, &
plures tyranni facti: ut Tebidus, Dadacus & Zulciminius.
quos armis persecutus Maruanus, Tebidum cœpit, atque 30
occidit: Zulciminius autem fractus in Persidem fugit. At
Dadacus meliore fortuna usus, Maruani filium prælio fu-
dit. Sed non diu ea læticia frui potuit. breui enim cum
ipso Maruano atroci prælio congressus, uictus & trucida-
tus fuit. Horum inter Sarracenos ciuilium bellorum oc-
casione Constantinus Copronymus Syriæ bello illato, ma-
gnam eius prouinciæ partem occupârat. Itaque Marua-
nus Da-

nus Dadaco extincto in Syriam uictoria arma conuertit,
eamq; magna Christianorū cæde recuperauit : eo autem
anno paulò antè quam hæc clades Christianis inferretur,
Syria, Palæstina, Asia penè uniuersa ; Thracia ; Græcia
atque Italia cum multis alijs regionibus ingenti terræmo-
tu concussæ sunt. Pòst, maiores motus in Perside sunt e-
xorti. Asmulinus enim eius sectæ, quæ à Mutare, cuius su-
præmentionem fecimus, Alim Muamedo maiorem fui-
se dicente, fuerat excitata, princeps apud Corasenos Persi-
dis populos degens, Catabani cuiusdam consilio seruos
ad dominos siue insidijs siue aperta ui interficiendos con-
citauit : quorum deinde diuitijs servi potentes facti, in
duas factiones sunt diuisi, quorum hæc Caisinorum, alte-
ra Lamonitarum uocabatur. Asmulinus uerò Lamonit-
tarum dux factus, Caismos deleuit. Inde in Persidem cum
Lamonitis & Catabano perrexit : cui prouinci proç Mar-
uano præerat Iblinus quidam, qui cum centum armato-
rum millib. se Asmulino opposuit. Sed Lamonitæ quam-
uis inferiores longè numero essent, tamen Asmulini &
Catabani, quos sanctos, & diuino numine plenos existi-
mabant, promissis freti, fortissimè dimicârunt, adeò ut
Iblinum fuderint. Deinde tot uictorijs elati, ausi sunt
etiam cum Maruano, qui trecenta mortalium millia in
aciem produxerat, prope Zabanum amnem configere:
eumq; exercitum fuderunt. Maruanus ponte, ne se ho-
stes persequi possent, resciutto, cum quatuor tantum milli-
bus in Aegyptum transfugit. Quem persequutus Salin-
nus, Asmulini filius, in Aegypto cruentissimo prælio de-
leuit : & sic omne Maraunium genus expulerunt. Cu-
ius familiæ, quæ tot annos regnauerat, reliquiæ, pars in
Mauritaniam, ubi fessæ regnum constituerunt, pars in
Hispaniam transiit. Et ab Asmulino pòst orta est illa fa-
milia, quæ hodiæ in Perside regnat, Sophiana nuncupa-
ta. Mortuo autem Asmulino & Catabano, Abubalanus
cognomento Muamat, Syriæ & Persidi, Salinus uerò
Aegypto imperauit : & sic cœpit Aegypti Sultanorum,
qui Cairi sedem habebant, imperium. Sic enim Aegy-
k ptij

ptij Califæ appellari uoluerunt, quæ uox sumnum principem, & regum regem significat. Eodem tempore in Gallia Pipino, defuncto, regnum inijt Carolus eius filius: & in Asturibus Fafilæ succelsit Alphonsus, Pelagij gener, cognomento Catholicus nuncupatus. is in Galleis Lucum, Tui & Asturicam, in regione Campi appellata, quicquid Stola, Carrione, Pisquerra, & Duerro fluminibus includitur: in Castulonensibus, Simancas, Dungenas, Amaiam, Caniciares, Alesanium, Transineram, Supuertam, & Carraciam: in Lusitania, Bracham, Viseum & Portum, à quo & Galleis eiusdem prouinciæ populis Lusitania tota hodie Portogalia appellatur, de Sarracenis recepit. Multa loca muniuit, ut Alabam, Ordugniam, in Cantabria, quæ hodie Biscalia dicitur: in Nauarra, Ruconiam, Sarracecasium, & alia loca usque Pyrenæos: quo, regni sui anno XVIII defuncto, Froila eius filius rex salutatus fuit. Hic Sarracenos, qui Gallicos inuaserant, Omare illorum duce cum quinquaginta milibus cæso, Iosepo Cardubæ rege in fugam compulso, fudit: & Gallicorum regionem totam, hodie Galicia nun²⁰ cupatam, suo subiecit imperio: quo post à suis interfecto, Aurelius eius patruelis regnum est adeptus: qui nihil memoria dignum contra Sarracenos gessit. & eo quoque breui defuncto, Silo eius frater rex creatus fuit: qui ut Gallicos rebellantes debellaret, pacem cum Sarracenis inijt. Regnauit octo annis: eiq; successit anno Salutis DCCLXXX, Alphonsus II. Froilæ filius, cognomen to Castrus. Huic, Maurægati eius patrui impulsu, bellum intulerunt Sarraceni. Promiserat illis Maurægatus, se, si illorum opera Legionis regnum, quod maiores ipsius³⁰ obtinuerant, adipisceretur, quotannis eis quinquaginta nobiles, & totidem obscuri generis uirgines tributi nomine traditurum, multaq; alia nefanda. Quamobrem Sarracenis eum summis uiribus adiuuantibus, Legionem cum regno toto occupauit, & quinque annis obtinuit: eo autem uita funeto, Vermudeces, Vimarani eius fratris filius, successit: qui post duos annos sponte regnum

regnum Alphonso restituit. quo auditio, Sarraceni ingen
tem exercitum Muga duce contra eum miserunt: cum
quibus ille prope oppidum Lutum siue Ledum appella-
tum, acie congressus, eos, septuaginta millibus cæsis, &
multis captis, fudit. Dum hæc in Hispania geruntur, Sar-
raceni in Oriente intestinis seditionibus lacerabantur. A-
bubalano namq; in Syria imperante, multi motus in A-
rabia contra eum à Maruani defuncti faectione, Marua-
num nondum obiisse dicente, & ideo arima pro eo redu-
cendo capiente, sunt excitati: quibus motibus multi mor-
tales utrinq; ceciderunt, magnæq; populationes factæ. A-
bubalano mortuo successit Abedela frater: quæ alius qui-
dam Abedela ad Pontificatum aspirans, insidijs oppres-
sum interemit, ipseq; regnum occupauit: quo imperante,
Turcica gens Caucasijs portis egressa, anno uidelicet Chri-
stianæ Salutis circiter octingentesimo, Armeniaq; popula-
ta, in patriam rediit. & sequenti anno iterum magno nu-
mero egressa, cum Sarracenis pugnauit, donec multis u-
trinq; cæsis prælium nox diremit. Abedelæ secundo, anno
imperij sui XVIII defuncto, successit Madi filius: qui
nulla memorabili re gesta, cum annis nouem regnasset, o-
bijt, Mosem filium imperij hæredem relinquens. quo
anno secundo defuncto, creatus fuit Califa in eius locum
Aaron. Sed ut ad Occidentis res redeamus. Ibnabala
Cæsaraugustæ rex, ab cæteris Sarracenorum in Hispa-
nia principibus domo pulsus, ad Carolum in Galliam ue-
nit, eius opem implorans: & Alphonsi cognomento
casti, Asturum regis, legati eodem tempore ad Carolum
uenerunt, quò eum ad Hispanicas res capeſſendas incita-
rent. Itaque Carolus non modò regni sui uiribus col-
lectis, uerum etiam externis auxilijs acceptis, inter quos
fuerunt quidam Danicæ iuuentutis proceres, quos stu-
dium armorum uirtutisq; ostentandæ perduxerat, cum
non quidem ingenti, sed iusto selectorum militum ac du-
cum exercitu Pyrenæos per Ronſcisualem, nemine im-
pediente transmisit: & Nauarræ fines ingressus, ad Pom
pelonem, Cantabrorum regni caput, castra posuit: quam
k 2 urbem

urbem Sarraceni ualido præsidio communierant. Et iam antiquis Hispaniæ artibus instructi, unius prælij fortuna secus ac antè solerent uitata, bellum trahere decreuerant. Carolus, qui interrogarent, num ditionem facere, an belli fortunam experiri mallent, misit. Illi primò tempus ad deliberandum petebant: & diei spacio accepto, id agebant, ut ad reges socios amicosq; mittere liceret, ut nisi intra quindecim dies auxilio sibi præstò adessent, se cum urbe dederent. E' re Francorum esse, urbe integra à clade belli potiri: potius quām à uictore per iram, & à ui-¹⁰ Sto per desperationem euersa: neque hac mora Francum ullius rei iacturam facere. Vrbem enim, ut omnes terrores ingruant, uim eo dierum numero laturam. Et Francos, si occurrentibus suis pugna superiores sint, portarum claustra solo uerborum imperio refracturos: idq; ex eorum dignitate ac utrorumq; commodo esse, ne insontes urbes ad quas liberandas Franci se uenisse dicerent, exempla belli utrinq; paterentur, quæ oppugnationis necessitas insolētiaq; afferat. Carolus ea à barbaris, ut bellum magno impetu cœptum, mora languesceret, cōsenesceretq;²⁰, callidè dici animaduertens, hostibus ad bellum apparatus tempus dare noluit: quin statim bellum denunciat, iubetq; militem, quæ oppugnandis circumsedendisq; uribus usui sunt, parare. Oppugnatio per multos dies atrox f. it. hostis assiduus aderat: crebra eruptione, nō Arabico, sed Hispanico more, ferro igne q; armatus, uelox subitusq; omne tempus, omnem locum conatumq; uaria ludificatione intutum, infidum, infestumq; faciens: prius circumfusus, quām uēturum quis suspicari posset: prius cæde incendio uefacto ex oculis se proripiens, quām contrā eum indi spaciū daretur. Ad portas castrorū primò tumultum trepidationemq; iniecit: deinde oppositis aduersus urbis portas stationibus, ne tunc quidem arceri poterat, quin pari audacia impetu faceret: nec priusquām perfectis operibus, circumuallatusq; claudi mœnib. potuit. Tunc quoq; præstanter non uirtutem muris, sed muros uirtute defen debant. Dumq; obsidio diutius spe trahitur, ceteri barbari reges,

reges, nō quidem cū exercitu ad pugnandum iusto prēlio
 aderāt: sed per occasiones notis tramitib. leuis armaturæ
 equites submittebant, qui sæpius noctu quām interdiu ca
 stra perturbarēt. Quædam etiā manus cæsis custodibus,
 perruptisq; munitionib. in urbem penetrans, spe obseffos
 repleuit. Carolus animo infracto suos adhortatur, admo
 net tolerantia uigilantiaq; uicendum esse. Virtutē bellicā
 non acie tantū clarescere, sed longè magis optima discipli
 na, quæ insomnes maxima ex parte noctes, dies laboribus
 plenos, libidinū & luxus abstinentiā, perpetuumq; cū mo
 ra temporis tædioq; certamē poscerēt. Claustra illa quib.
 se impij tutarēt, uel ui refringenda, uel illos pertinacia e
 domādos. Quamobrē signa inferrent, hostem inclusum
 respirare nō sinerēt. Exin ancipitia munimēta facta, quib.
 castra & à tergo, & à frōte, & à laterib. custodirēt. Mox,
 qui ut antè excurrebant coerciti, & foedè pulsi, & res ad iu
 stam obsidionē redacta. Pòst oppugnatio atrocior cœpta:
 quæ dies noctesq; summa in alijs post alios in orbem suc
 cedentibus, omni operū, machinarum, tormentorū, scala
 rum, pontium, artis uirtutisq; genere cōtinuabatur, adeò
 ut tandem hostis consternatus, per æqua, per iniqua scan
 dentium Francorum uirtute deiectus, cœlus' ue sit. In urbe
 quoq; magna strages edita, donec præconiū à rege circū
 missum est, ut inermi parceret. Tū Sarraceni ad eā diem af
 sueti potius mori, quām dū arma suppeterēt, se dedere, ab
 iectis telis dextras inermes supplicesq; tēdebat. Pòst mœ
 nia diruta, & urbs direpta. Inde Cæsaraugustā, Tarraconē
 sis prouinciæ caput, prectū: quę hoc exēplo territa, statim
 in cōditiones descendit, ut euangelij cōcionatores admit
 terēt, Ibnabalā recipere, regemq; agnoscerēt. Pòst in Got
 talaniā transiit, duosq; eius prouinciæ reges q; Ibnabalam
 domo eieciisse insimulabantur, Abutaurū & Deuisfezū in
 castra uenire cū donis coegit, & uectigal pacisci: omnēq;
 Hispaniā nominis sui terrore impleuit. Sed ubi in Galliam
 reuersus est, sunt q; addāt, uenisse ex Africa Aigolandū quē
 dam à summo Africanorū Sarracenorū satrape, qui Mar
 roci sedem habebat, cū ingentib. copijs, ad ea quę Carolus

in Hispanijs cæperat, recuperanda missum, cum quo fuerint multi reguli & uiri fortissimi. Cum eoq; Carolum ad Baionam, Vasconiæ urbem, postquam aliquot singulare certamina ex prouocatione facta cruento prælio dimicasse: in quo quadringenta Christiani nominis hominum millia ceciderint, & in his Milo Anglerius, Rolandi pater, uir fortissimus, qui uniuersum ducebatur exercitum. restitutā tamē rem fuisse Caroli uirtute, per opportunoq; auxiliarium copiarum aduentu, quæ tunc ex Italia Gallis adfuere, adeò ut Aigolandus occultè fugam præoccupa 10 uerit. Sed mox reparato exercitu rursus Carolum in Vasconiam exciuisse: Gennumq; urbem, nunc Baiona appellatam, septem mensium oblidione fatigatam: tandemq; recedentem in Sanctonum finibus Aigolandum ingenti prælio uictū, in Hispaniam refugisse. Carolum uero, ut alii quando Hispanicum bellum ad exitum perduceret, maiore quam unquam antea exercitu contracto, Hispaniam ingressum, Aigolandum post multa leuiora certamina ingenti prælio uictum interemisse: indeq; uniuersam pene Hispaniam perdomuisse: multaque his fabulosa inse- 20 runt, quæ nos ideo prætermittimus. Sed si quis ea uide-re cupit, Turpinum Remensem antistitem legat, penes quem & horum quæ hic adiecimus, fidem esse uolumus. non enim in ijs quos sequimur, maiore fide dignis scriptoribus, Carolum plusquam semel arma in Hispaniam promouisse, nequaque eo regnante Sarracenos in Galliam transiisse, inuenimus. Verum illud satis constat, cum bellum in Hispania contra Sarracenos gereret, Alphonsum Asturij regem, rerum ab eo gestarum, uirtutisque fama motum, ut suis popularibus consuleret: quia liberi carebat, & maioribus quam eius regionis uiribus ad perpetua cum Sarracenis bella sustinenda opus esse uidebat; clam ei per legatos, si modò sibi aduersus Cordubæ regem, cum quo tunc bellum gerebat, opem ferret, Legionis regnum obtulisse. Ea conditione accepta, Carolum ei auxilia misisse. Quod ubi regni proceres audiuerunt, gentis finitimæ (ut plerunque solet) odio id ægrè

id ægrè ferentes, regem coegerunt à fœdere discedere: nec eo contenti, Carolum, ubi se derisum uideret, hāc iniuriam ulturum metuentes, de eo cum uniuerso exercitu delendo cogitārunt. Itaque omnibus Asturum Cantabrorumque populis ad arma coactis, & Sarracenorum quoque auxilijs accitis, angustias montium qua in Hispaniam per Roncisuallem itur, clām occupārunt (iam enim Carolus in Galliam reuersus erat, & iterum in Hispaniam, ut eam iniuriam ulcisceretur, contendebat) Erat tunc Caroli exercitus ad Pyrenæorum radices, quæ in Galliam uergunt, in ualle quæ adhuc Hospita nuncupatur: cum nunciatum est, Hispanos per uallem Caroli hodie appellatam, quæ planior est, contra se aduentare. Itaq; exercitu Galeronis, siue Gani (ut aiunt) quem hostes pecunia corruperant fraudulentio consilio, in tres partes distributo: Rolandum (quem uulgs Orlandum uocat) suum ex forore nepotem, Britanniæ citerioris ducem, uirum fortissimum, primo agmini præfecit, in eoq; omnes Galliæ proceres & summos uiros: in secundo innumeros nobiles, equitesq; collocauit: ipse cum tertio agmine, in quo erat Galero, in castris substitit. Et Orlandum cum primo agmine præire iussit. Hispanicus exercitus in Roncisualle uenientes expectabat. In quem ubi primum agmen incidit, ita ab eis trāctatum fuit (locum enim illi superiorem, & angustias omnes occupārant) ut peius habuerint qui illorum manus effugerunt, quam qui pugnando cadebant (hi enim citò moriebantur) illi per saxa de summis scopulis ruentes, membris fractis in summis cruciatibus aliquandiu uersabantur. Et sic Roldus & alij omnes, ut ex ascensu montis & armorum pondere fessi erant, facile sunt trucidati: eodemq; modo actū est de secundo agmine, in quo erant Galliæ XIII uiui, quos Pares siue patres uocat, ut penes quos regis creandi, & omnium grauissimarū rerum potestas est: Carolo semper in ualle, quę nūc ob id Caroli uocatur, in quam ex Hospita castra mouerant, herente. qui ubi tantam cladem cognouit,

in Gal-

in Galliam summa celeritate se recepit, & Alphonsus per legatos hęc omnia se inuito & inscio facta excusauit, cum quo amicitia fœdusq; renouatum est. Inde ad pacis cogitationem conuersus, quam toto terrarum orbi nitebatur parare, legatos in Aegyptum Syriamq; misit ad amicitiam cum impiorum satrapis contrahendam, quo illi melius Christianos sub imperio suo degentes tractarent. quod impetratum est, adeò ut Aaron summus Persarum & Arabum Calyfa, qui cum CCC hominum milibus Asiæ prouincias, quæ adhuc Constantinopolitano parebant imperio, paulo antè tumultuose adortus, Nicephorum ad pacem auro, quod singulis annis penderet, redimendam compulerat : deinceps non modò Christianos non infestauit, uerùm etiam inopibus, qui sub suo erant imperio, magnam quotannis pecuniæ uim largiretur : idemq; legatos cum muneribus ad Carolum misit. Nam, cum Aaron Tyana, ubi ædem Muamedic dicauit, alijsq; innumeris oppidis captis, Rom. imperium multis cladibus affixisset : Nicephorus rebus suis iam desperatis, ad Arabem literas pacis impetrandæ causa in hanc sententiam scripsit. Cur tam iniustè, nullà à me iniuria laceritus, mihi bellum inferas, aut quo impulsore id facias, non video : nisi fortasse, quod cædibus & rapina gaudes. Nam te id religionis causa facere, causari non potes : cum Muamedes, uates tuus, Christianos omnes fratrum loco habere uos iubeat. An existimas Deum opt. max. omnium rerum opificem, & utrorumq; curam gerentem mortalium, quos ipse ad imaginem sui creauit, sanguine iniustè fuso delectari? absit hoc. neque enim huiusmodi piacula illi exhibere uos iussit Muamedes uester. An fortasse argenti, auri, aliarumq; rerum inopia compulsus, alienas prouincias inuadis? atqui cum earum rerum nos egentes simus, preciosissima quæque, & paratu difficultia apud uos in magna copia sunt. Quin siquare nostra opus habes, amicè petis: & nos eam ibi illicò amanter exhibebimus. Si genus humanum, & mortalia contemnis arma: scito Deum esse memorem fandi atque nefandi.

fandi. Cum enim mortales simus, non decet nos immortalia odia inter nos ipsos exercere: in eaq; dæmonē imitari, qui perpetuum gerit cum genere humano bellum.

His literis, quibus & dona quædam erant adiecta, placatus Aaron, & ipse multa munera Nicephoro misit: & pacem ea lege inijt, ut Imperator ipsi quotannis aureorū nummūm triginta millia, & ternā pro suo, totidemq; pro filij capite penderet, ne' ue oppida à Sarracenis uastata instauraret. Sed leuior fuit apud Græcum, quam apud baro barum, fides. Nicephorus enim Sarracenis digressis, statim ea instaurauit atq; muniit: quo cognito, Aaron exercitu rursus in Græciam misso, Thebas cœpit: missaq; in Cyprum classe, templa euertit, & Cyprios expulit. Aarone autem cum annis XXIII regnasset defuncto, Muamates eius filius pontificatum est adeptus: qui cum Haldale fratre hostiliter congressus, ubi suarum partium fortunā inclinare uidit, conuēnit ut ambo eodem titulo equoq; iure imperarēt. inde quatuor tyranni sunt creati: quorum unus Hispaniam, alter Africam, tertius Aegyptum, quartus Syriam & Palæstinam est sortitus. Vnde Sarracenorum potentia declinare cœpit, & aliquandiu Orientis res à Sarracenis pacatae fuerunt. Syriæ autem Calyfa Muamates nō iam Damasci sedem habere uoluit: sed nouam urbem prope ueteris Babylonis ruinās, Bagadat nomine, condidit, in eaq; pontificiam regiamq; Syriæ & Orientis sedem collocauit. ei enim & Persæ adhuc parebant. Aegyptius Caii: quam urbem prope Memphis ruinās conditam, suprà ostendimus. sed post regia sede in ea colloca ta, ita creuit, ut hodie inter maximas totius orbis terrarū urbes numeretur: & Africæ sedes Cairoani, quæ urbs in Africa circiter C. M. P. ab Tuneta, & trigintasex à mari, Ottmeno imperante condita fuerat, ab Elaglebo fuit collocata. Hispania uerò et si pluribus regibus pareret, omnes tamen Marroci pontificem agnoscebant: quæ urbs in Mauritania Tingintana est. Qui uerò Assyriæ imperabat, Calyfa uocabatur: quæ uox successorem significat, quod is Muamedis successorem se esse gloriaretur. Aegy-

82 SARRACENICAE HISTORIAE
ptius pontifex, Sultanus est appellatus. Caiorani uerò,
& ipse Calyfa se uocabat: & Marroci antiqua eius urbis
conditoris appellatione Miralmuminum. Sub his & alia
minora regna etiam in Africa sunt exorta: ut Tunetæ,
Tripolis, Algeriæ, Orani, Fesse, & innumera alia his mino-
ra. ut enim quisque urbi aut prouinciæ alicui præerat, sic
se eius regem appellabat, idq; quasi hæreditario iure pos-
sessum, posteris suis per manus tradebat. Sed tamen om-
nes hi reges aliquem ex his pontificibus agnoscebant: &
ut quisque huic aut illi adhærebat, sic bellum cum alte-
rius factionis regibus gerebat: quæ discordiæ & sedi-
ties, tyrannorumq; multitudo ita Sarracenorum vires
attruerunt, ut post hos quos enumerauimus pontifices,
paulatim ita decreuerint, ut tandem Turcis penè omne
Sarracenorum nomen cesserit: & res illorum hoc tem-
pore ita propter summæ regiæ perturbationem obscu-
ræ fuerunt, ut nulla certa imperij illorum successione
apud ipsorum quoque scriptores haberi possit. Nos ta-
men temporum ordine seruato, ea quæ de rebus ab illis
gestis à uarijs scriptoribus memoriæ tradita sunt, quām 20
breuissimè complectemur. Hoc igitur Muamate Aaro-
nis filio in Assyria, & Michaele Nicephori genero, qui
Leonē Armenium expulerat, Byzantij imperante, Tho-
mas quidam motus excitauit. de quo duplex fama erat.
Aliqui enim eum obscuris atq; pauperibus maioribus or-
tum ferunt, ijsq; barbaris, diuq; in paupertate uixisse, ui-
ctum labore manuum suarum, nonnunquam etiam ser-
uilibus ministerijs parantem. Deinde patria relicta Con-
stantinopolim uenisse, ibiq; apud quendam Senatorij or-
dinis seruientem, eò libidinis ac fœditatis progressum, ut 30
heri quoque lectum polluere ausus sit. Quare detecta,
cum ignominiam non ferret, ac poenas talia facinora ag-
gressis Constitutas metueret, ad Sarracenos profugisse.
Quibus cum se satis probasset, continuaq; & diuturnis
actionibus fidem confirmasset (annos enim uigintiquin-
que apud ipsos egerat) sancta Christianorum eiurata re-
ligione, & Muamedicam impietatem amplexum, ab ijs
bellicæ

bellicæ cuidam phalangi præfectum, ac contra Christianos missum fuisse, pollicitum se Romanum imperium in illorum potestatem redacturum. Ac Christiane naui fidem struenti, ut alienigenæ fidem non haberent, Constantiū sese nominasse, Irenes F. quem ob ingenij morumq; peruersitatem mater iampridem oculis imperioque orbauerat, morsq; iam tum uiuis exemerat. Alij hunc Thomam quondam affirmat in familia Bardanij, cognomento Turci, unā cum Leone & Michaele fuisse: quum is Philomelij degens, ac de imperio sibi vindicando cogitans, consilium suum monachō cuidam futurorum perito, Leone Armeno conscio aperuit. Cui monachus predixit, si imperium affectaret, & oculis suis & opib. spoliatur iri: sed ex ijs qui equum ipsi adduxissent, primū & secundum diademate potituros, tertium imperatorem declaratum iri: sed quod cupuerat, minimè consecutum, statim periturū. Primum autem fuisse Leonem, secundum Michaelem, tertium hunc Thomam, quem Leo Imperator foederatorum cohorti præposuerit: eum ergo Thomam cum imperfectum à Michaele Leonem cognouisset, cùm ut eius, cuius beneficentia usus erat, necem ulcisceretur, tum ut suum animum expleret (nam inde ab adolescētia ei cum Michaele inimicitiae intercesserant) arma contra Michaelem sumpsisse: & primò Orientales copias, apud quas degebat, concitasse. Sic igitur exercitum minimè imbellem aut exiguum, sed grandem fortēmq; colligit ex Sarracenis, Mauris, Indis, Medis, Persis, Assyrijs, Armenis, Chaldæis, Iberis, Zegis, Cabiris atque alijs gentibus. Quorum alij coacti castra eius sequebantur: alij benevolentia erga eum ducti, nonnulli spe prædæ: quidam etiam odio in Michaelem, qui ob morum peruersitatem omnibus erat inuisus. Nam Thomas etsi alterum pedem mutilum haberet, ac genere barbarus esset: erat tamen ob caniciem uenerandus, & in congesu comis & facilis (quæ gratissima sunt militari multitudini) nec cuiquam corporis robore posterior habebatur. Is ergo Sarracenorum, quibus Constantinopolitanum

imperium promiserat, viribus & magnis etiam Christianorum copijs sibi adiunctis, Orientem occupauit: & publicorum uectigalium exactorib. in suam redactis potestate, animi magnitudine & secunda usus fortuna, ex paruo magnus, ex imbecillo potens factus est: à quo tota Asia uastationibus populationibusq; miserè afflcta fuit: urbibus alijs Thomæ se ob metum adiungentibus, alijs quod fidem Imperatori seruarent direptis, atque incolis in servitatem actis: adeò ut soli Opsiciani & Armeni, quibus Catacellas & Olbianus pro Imperatore præerant, in tota Asia in fide manserint. Quibus ut gratiam referret Imperator, publicum uectigal quod Fumarium dicebatur, remisit. Quo rerum successu elatus Thomas, Imperatoris nomen sibi arrogauit: estq; Antiochiæ, ab eius temporis Antiochenæ ecclesiæ pastore Iobo diademe ornatus: quem ipse uicissim in filium adoptatum, imperij socium adiutoremq; adseciuit, & nomine mutato se Constantinum Irenes F. appellauit. Quibus cognitis Imperator se quoque ad bellum parauit, & copias nequam certamini pares cum duce emisit: quas Thomas penitus fudit. Inde Romana classe in suam potestatem redacta, cum LXXX hominum millibus Abydum, omnia in itinere populatus, inq; cinerem redactis non humilibus modò, sed & loco optimo sitis, ac expugnatū difficillimis oppidis, petijt. Ac inde nocte tenebrosissima in Thraciam traiecit, ubi multi quotidie ad eum ex Cæsaris militibus transibant. Et Imperatoris copias, quibus Olbianus & Catacella duces præerant, nec non & instrutissimam aliam classem aduersus se comparatam, instar torrentis alto monte decurrentis irruens, terra marique profligauit. Vrbem ipsam terrestribus simul ac naualibus copijs ferrea catena, qua portus claudebatur, perrupta oppugnauit. Sed cum nihil efficeret, ad obsidionem conuersus, castris optimè communitis, exercitus partem ad Euxini oppida subigenda misit. Deinde rursus oppugnationē urbis summis viribus adortus, cum omnes eius conatus propugnatorum uirtus irritos redderet, & classem

sem eius grauis in mari tempestas oborta dissipasset, exercitum in Asiam in hyberna reduxit. Post, ineunte uere ad eandem oppugnationem redijt: sed Michaeliam & maritima classe & terrestribus copijs melius quam antea instructus, eius militum animis uarijs artibus prius ad defctionem frustra sollicitatis: tandem omnibus portis repente copias in eum nihil tale suspicantem effundens, exercitum eius fudit, classem quoque eodem tempore paruo labore frangens. Quibus rebus permotus Gregorius quidam, Leonis Imperatoris consobrinus, qui cum magna militum manu Thomę aderat, ut in gratiam Cæsaris rediret, suos milites statim à reliquis separauit, Thomam à tergo adoriturus. Quod uidēs Thomas, nihil animo deiectus, castris quæ optimè munita erant, ab urbe nō dimotis, cum parte exercitus Gregorium est adortus, prælioq; fusum, & in fuga comprehensum necauit. Inde celeriter in castra reuersus, literis in omnes partes missis, falsò se aduersus Michaelem acie superiorem fuisse iactauit: classemq; quæ Beryti erat, nauibus tum longis, tum onerarijs CCCL constans, statim ueluti rem mari continuo gesturis ad se uocat. Quare cognita, Romanæ classis præfeti eam noctu in statione adorti, classiarijs subito impetu perterritis, multas cæperunt, quasdam artificio igni combusserunt: paucis admodum, quæ celeri fuga auestræ, se cum terrestribus copijs coniunxerunt, periculo ereptis. Et dum terrestres copiæ leuioribus prælijs circa Byzantium uaria utrinque fortuna sæpius dimicant, huius belli fama per totum terrarum orbem diuulgata: Mortago Bulgarorum rex, etsi Imperator (ut erat natura Fordidissimus) pecuniæ parcens, opem ab ipso oblatam gratijs actis sibi minimè necessariam esse dixisset, tum quod bellum & præde cupidus esset, tum uero ut fœdus tricennale cum Leone Armeno pactum confirmaret: contra Thomam expeditionem suscepit, eumque in loco cui Cedrocto nomen erat, haud procul Byzantio, sibi obuiam cum omnibus copijs progressum, prælio uicit,

magnaque strage edita cum multis captiuis & spolijs am
plissimis domum redijt. Qua clade audita, Thomæ
classis quam ad obsidionem reliquerat, tota ad Impera-
torem defecit. Thomas exercitus sui reliquijs collectis,
in campum quendam Diabasis appellatum, aliquot ab
urbe stadijs remotum, uerum excursionibus aptum, &
ob aquarum copiam commodum, copias traducit: ibi-
que castra locat: atque inde crebris excursionibus subur-
bana ædificia, regio luxu facta, omnia uastauit. Impera-
tor autem copijs auctis tripartito eum adortus, exerci- 10
tum ipsius (cui ipse, ut prius simulata fuga, post repente
se in hostem conuerterent, manduerat) in ueram fugam
compulit, ex quo etiam multi ad Imperatorem transfu-
gerunt. Thomas cum paucis Adrianopolim incolumis
peruenit: & Anastasius eius adoptiuus filius, ex fuga By-
ziæ castellum occupauit. Quas statim persequutus Im-
perator, primò Adrianopolim, ubi Thomas erat, petiit:
& ne uicini Scythæ machinarum, quibus urbes oppu-
gnantur, noticiam consequerentur, urbem annonæ pe-
nuria ad dditionem compellere statuit: eamq; uallo ac 20
fossa cinctam acriter obsedit, adeò ut obsessi cibarijs om-
nibus consumptis, occulte cum Michaele collocuti paeti-
que delictorū ueniam, Thomā arreptum, ipsi tradiderint.
Cui, more antiquo Imperatorū usu recepto, primò eius in
pauimento prostrati ceruicē pedib. cōtudit: tum pedib. ma-
nibusq; mutilatū, & asino impositum, nihilq; aliud uocife-
rantem quām (Miserere mei, qui uerus es rex) per castra
circumduci iussit. Cumq; is ab Imperatore interrogatus,
aliquos ex ipsius familiaribus quasi occulta secum consi-
lia agitassent, accusare uellet, Imperator ab Exambulio pa- 30
tricio, inimicis amicos accusantibus fidem non adhiben-
dam, monitus, eum audire noluit: qui tandem lentis con-
fectus supplicijs, animam emisit. Et qui Byziam confu-
gerant, Adrianopolitanos imitati, Anastasium Impera-
tori uinctum tradiderunt: qui & ipse suppicio affectus
est. Hic finis fuit Thomæ, cuius res gestas nos idcirco mi-
nimè prætereundas duximus, quamuis ipse non fuerit

Sarrace-

Sarracenus: quia ea omnia Sarracenorum opibus & potentia subnixus gescit, adeò ut Sarracenorum Imperator fuisse uideri possit. Dum hæc in Oriente geruntur, Saraceni qui in Hispania degebant, per legatos à Ramiro Asturum rege, qui Alphonso Castro successerat, tributum ipsis à Mauregato rege pendi solitum arrogantissimè petierunt: quib. Ramirus ex senatus sui decreto se mori censes, quam id facere, malle respondit, statimq; cum exercitu ad fines illorum populandos Nagieram usque est progressus. sed cum Saraceni cruento prælio ad Alueldam cum eo, quod nox diremerat, commisso superiores extitissent: Ramirus noctu cū suis in collem quendam prope Clauigium secessit, ibiq; sequentis diei fortunam ualde timens, cum exercitu uniuerso totam ferè noctem illam preces ad Deum fundens insomnem egit. Tunc aiunt, D. Iacobum apostolum se illi uidendum præbuisse, suamq; ipsi opem pollicitum: & cū sequeti die Ramirus hac diuina ope fretus in acie prodijisset, eundem D. Iacobum equo albo insidentem, & rubram crucem gestantem, in pugna usum fuisse: eoq; prælio septuaginta Sarracenorum millia cæsa fuisse tradunt. Tunc Albaidæ, Clauigiū, Calagurra, multaque alia eius tractus oppida, Christianis cesserunt: in cuius uictoriæ præsentis numinis auxilio partem memoriam, D. Iacobi equestris ordo à rege fuit institutus. Et Saraceni, qui occiduum Hispanię sinum, ubi Valentia est, accolebant, multitudine hominū aucti, & terraque ipsis obtigerat, parū fertilem & opulentā esse animaduertentes, à summo principe suo qui Marroci in Mauritania Tingitana sedē habebat, Amerumē appellato, ut coloniā eos alio deducere pateretur, petierunt: quos princeps rerū nuarū cupidus, longarū nauī classe confestim instructa, simul ut eorū cupiditatē alienis opib. expleret, ac num aliqua ferax insula esset, in quam cōmodè suorū possit deducere coloniam exploraret, ad insulas Orientis misit. ijq; in Corsicā uenerunt: sed ab Abdemaro, quē Pipinus Caroli Magni filius, Italiæ rex, cū Geneuēsi classe contra eos misit, repulsi sunt. qua in pugna ipse Abdemarus fortissimè dimicans

dimicans obijt. Inde ad Græciæ insulas, quæ tunc classe,
quæ ad eas custodiendas destinata erat, Thomam adiu-
uante præsidio, spoliatæ erant, nauigantes, omnes penè di-
ripuerunt. cumq; inter cæteras Creta eis bonitate atque
amœnitate præstare uideretur, nauibus omni præda one-
ratis domum redierunt: & sequenti uere nauibus XL, ui-
ris militaribus oneratis, Cretam rectâ secundo uento re-
petierunt. copijsq; ad promontorium, cui Carax exinde
nomen est inditum, expositis, ignem nauibus iniecerunt:
& castra statim ibidem uallo ac fossâ munierunt, eiq; loco 10
Caudax nomen imposuerunt. Aduersus quos Imperator
statim Photinum Orientis præfectum, & Damianū cum
copijs misit: sed Damiano in pugna, quam cum eis com-
misit, mortuo, reliqui fuga sibi consuluerunt. Tum mo-
nachus quidam ex insulæ montib. ad eos uenit, docuitq;
locum quem delegerant, minimè aptum esse urbi cōden-
dæ: & simul locum Candaces appellatum eis ostendit, o-
mnibus rebus longè commodiorem. Vbi illi urbem, quæ
ueluti totius insulæ arx esset, condiderunt, Candia nuncu-
patam: ex eaq; in totam insulam incursions faciebant, a- 22
deò ut breui omnes penè insulæ totius urbis incolis in ser-
uitutem actis occupârint. Quo tempore Cyrus Gorti-
nys episcopus, Christum seruatorem inter cruciatus mo-
riens testatus est. Et alia eiusdem gentis classis eodem ferè
tempore, iterum Sardiniam & Corsicam occupare est
conata, quaon Carolus Pipini frater, Bucharedi comitis
ductu quinq; Sarracenorum millibus cæsis circa Sardi-
nam uicit: ac post etiam Corsicam expulit. Pipino cum Ve-
netis bellum gerente, Sarraceni qui in Hispania erât, Chri-
stianorum dissidia in suum commodum uertentes, Sardi- 30
niam, unde non multo prius fuerant repulsi, cum insigni
cæde suorum ex improviso inuadunt: indeq; subito a-
uersi, Corsicam petunt: Aleriaq; urbe direpta, præter e-
ius antistitem & senes admodum paucos, cæteram multi-
tudinē inde auehunt. Michael uero imperator aliam claf-
sem Cratero, Cybiretarum præfecto duce, contra Sarra-
cenos Cretam obtinentes, misit: qui cum LXX suis, &
innume-

innumeris reliquarum insularum biremibus ferox admodum in Cretam appulit: ubi Sarracenos inuenit, nequam pugnam subterfugientes. quamobrem prima luce ad meridiem usq; acerrimè utrinq;, & dubio euentu pugnatum est. sed tandem die ad uesperam uergente, Saraceni superati, fugæ se dederunt: quorum multi in pugna occisi sunt, plures abiectis armis capti: adeò ut etiam urbs illorum eadem die, nisi nox ingruens obstatisset, capi posse uideretur. Quæ quidem nox & uictoria Græcis exitium attulit. dum enim uictoria tumidi, ut qui superstites paucos se postridie nullo negocio in suam potestatem redacturos sperarent, perinde ac si non in hostico, sed domi suæ agerent, potionibus & luxuriæ se dedunt: neque excubiarum aut ullius salutaris rei curam habent, de solo somno ac quiete & socordia facile omnia euertente cogitantes, à Sarracenis, qui id animaduerterūt, somno uinoque sepulti media nocte opprimuntur, & sic omnes nē nuncio quidem superstite cæsi sunt. Solus dux Craterus, mercatorio usus nauigio, saluti suæ consulere est conatus: quem Sarracenorum dux diu multumq; inter cadauera & captiuos quæsitum, cum nō inueniret, ac fuga elapsum perciperet, misit qui eum persequerentur: à quibus in Coinsula comprehensus, in crucem actus fuit. Quibus auditis Michael Orypham, uirum prudentem, & rei militaris peritissimum, prætorianam legionem (quæ tum, quod quadraginta aurei nummi singulis illius legionis militib. penderentur, Quadragenaria uocabatur) colligere iufit. is Sarracenos passim per alias insulas predatum exurrentes, partim infidijs locatis, partim aperto marte congreßus interemit: & eorum qui Cretam obtinebant, immodicam audaciam repressit, atque inhibuit. Hoc ipso tempore Euphemius, turmę cuiusdam in Sicilia dux, uirginis, quæ à tenera ætate castitatem uouerat, seq; facris dicarat, impotenti amore captus, eam Imperatoris sui (qui & ipse huiusmodi facinus perpetrārat) exemplo, è facris ædibus raptam, ad se in uitam traduxit. Cumq; eius fratre eum apud Imperatorem accusasset, Imperator Si-

ciliæ præfecto mandauit, ut (siquidem hoc crimen ue-
rum esset) Euphemio nasum præcideret. Quod sen-
tiens Euphemius, coniuratione cum ijs quibus præerat,
& aliarum turmarum ductoribus facta, ad Ambulacum
Mauritaniæ Sarracenorum pontificem transfugit : eiq;
promittit, se, modò ab ipso Imperator Romanorū decla-
retur, omnem ipsi Siciliam subiecturū, magnumq; tribu-
tum soluturum : qua conditione accepta Ambulacus, eū
imperatoris Romani titulo insignitum, magno exercitu
instruit, eiusq; opera Sicilia potitur : sed Euphemius, dum 10
Siciliam Imperatoris habitu obit, Syracusis fuit interfe-
ctus. Inde Sarraceni Calabriā quoq; & plerasq; alias Ita-
liæ partes incursionibus populationibusq; infestare cœpe-
runt : quorum una classis circa Sardiniam deleta fuit, alte-
ra(nam duæ emissæ erant) fugienti similis domum est re-
uersa. quod fecit, ut Ambulacus cum Galliæ rege pacem
inierit. Sed paulo pòst Bernardo, Pipini filio, in Italia re-
gnante, Sarraceni Ambulaci pacem aspernati, Corsicam
inuasere: quos præda onustos alto mari adeptus Ermenga-
rius, qui pro Italiæ rege ex Balearib. insulis maiorem præ- 20
sido tenebat, primo congressu fudit: atq; aliquot nauibus
ex ea classe interceptis, quingenti Christiani captiui serua-
ti sunt. Nec tamen ob eā cladem Sarraceni quieuère, quin
classe circumacta Italiam petunt, Centumcellas in Hetrū
rię ora (quod oppidum nunc Ciuitas uetus appellatum)
repentino impetu adorti occupant: captum oppidum di-
ripiunt, ferroq; & igni uastant. Narbonensem inde orā po-
pulati Sardiniā inuadunt, prædeq; & populationis omnia
cōplent. In quos licentius uagantes Ermengarius, iterum
cum insulanorū manu repente impetum fecit, fusosq; cū 30
multa cæde ad mare egit: ubi dū naues tumultuariè ascen-
dunt, ad hostium satietatem ceduntur: atq; ita grauiter af-
fecti, magnaq; parte classis amissa, in Africā traiecere. Et
qui in Sicilia erant, Venetos in Constantinopolitani impe-
ratoris (cui insula illa tunc subiecta erat) gratiam classem
contra se mittere audientes, præda onusti abiuerunt. Post-
hēc Haido, quē Ludouicus Galliæ rex & imperator, Aqui-
taniae

taniæ præfecerat, Ausonia urbe dolo capta atq; direpta,
Sarracenorū Hispanorum auxilia accersiuerat: quibus fre-
tus, tunī Aquitaniam, tum citeriorem Hispaniā latè popu-
labatur. quem conatum Ludouicus breui reprēssit: & Al-
phonsus cognomēto Magnus, Asturiæ atq; Legionis rex,
duos Toletani regis Sarraceni exercitus ad Legionem ur-
bem oppugnandam missos, prope Duerum amnē fudit:
Coimbrā præterea, quā Sarraceni oppugnabant, obsidio-
ne liberauit. Et cum Zamorrā urbem conderet, eosdem
10 Sarracenos Alchama uate, suo duce, cōtra se ueniētes, mul-
tis ex ipsis, ac inter ceteros etiā Alchama cēsis, uicit: & Ab-
boalinū magni apud eos nominis ducem cœpit, qui se du-
centis aureorum nummūm millib. redemit. qua pecunia
rex D. Iacobi templum, quod Ouidi est, ex marmore, cū
antea latericum esset, ædificauit. At in Italia Sarraceni
Panormū, clarissimā Siciliæ urbem, cēperant: nec quisquā
erat qui eorum conatib. obuiam iret, nisi Bonifacius Cor-
sicæ comes, cum Beatrio fratre, & paucis Hetrurię comi-
tib. classe in Africam delatus: ac inter Uticam & Cartha-
ginē in terrā egressus, quatuor prælijs tot hostes cœcidis-
set, ut nō secus ac Pœni olim Annibalem ab Italia, sic Sar-
raceni tūc suos ex Sicilia reuocare fuerint coacti: & sic Si-
cilia pestifero bello liberata est. Bonifacius uero ex Africa
uictoricem classem reduxit, multa præda onustam. Sed nō
diu Sarraceni quieuerunt: quin mox maiore quam unquā
antea ui Italiam adorti, Centūcellas iterum capiunt. inde
citato agmine Romā petunt, Vaticanū nullis adhuc mu-
nitionibus septum facile adepti: templumq; D. Petri dire-
ptum, argenteisq; quas habebat ingentis precij forib. sub-
30 latis, ferro & igni prophanant: ibi q; plures dies commora-
ti, cum urbem oppugnare in animo haberent, audito auxi-
liarium ex Cisalpina Gallia copiarum aduētu, recedentes,
inter Appiam & Latinam uias suburbana omnia uastant.
Pauli basilicā Ostiensī uia spoliant, atque igni iniecto ma-
gna ex parte absument. Inde in Latinā uiam flecentes, po-
pulabundi in Cassinensem usq; saltū excurrunt. Cassinen-
se fanum opulentissimum sacra ueste & donarijs spoliāt,

magnaq; ex parte excidunt. Hinc dextra Liris ripa ad ma-
re instar rapidę procellę sese effundunt: ibi q; prēda nauib.
suis, quae illic præstò fuere, imposita, in altū abiuēre. Et in
Hispania Abduramenus Cordubæ rex, Cātabrię fines in-
gressus, cū Ordonij Legionis & Gartiae, Ignigenij Canta-
briæ, regū copijs ferociissimè per diem integrū pugnauit,
& fortuna in neutrā partē inclinante recessit. Ordonius
uerò fines eius ingressus, Cintiliā oppidum, quod nūc San-
tiliaria uocatur, euertit. At in Asia Impraelus Syriæ Caly-
fa, qui Muamati successerat, cū maximis copijs in Imperij 15
Romani fines irruptit. Aduersus quē profectus Theophi-
lus Impator, Theophobi & Manuelis præstātissimorū du-
cū uirtute fretus, acie dimicare statuit: quo aduentāte Im-
praelus siue arrogantia ductus, siue quod prēlij fortunā ti-
meret, Abuzachare quodam cū LXXX armatorū millib.
ad pugnā relicto, cū parte exercitus discessit. Cōmisso aut̄
prælio, quū Sarraceni uincerent, Theophilus cū prætoria
cohorte & duobus Persarū millib. & Theophobo in col-
lēm quēdam euasit: quo ab Sarracenis cincto, illis summo
conatu Rom. Imperatore capere nitentibus, his aut̄ Impe- 20
ratorē suum fortissimè propugnantib. in uesperā usq; acri-
ter est dimicatū. Sed ubi nox uenit, Theophobus Sarrace-
nos arte delusit. Mandauit enim militibus, ut quantū pos-
sent, streperent ac cōclamarent, sonitumq; cithararum &
chordarum tubarumq; ederent, quasi subsidium ipsis ali-
unde aduentaret. Quod suspicantes Sarraceni, ne ab hosti-
bus circumdarentur, ad V. I. M. P. recesserunt: & sic Impe-
rator cū suis periculo erepti, ad exercitū, qui fugam è præ-
lio fecerat, contenterunt. Quamobrē Imperator Theo-
phobum uniuerso exercitui præposuit: & sequenti anno 30
rursum contra Sarracenos expeditione suscepta, eos a-
pud Charsianum prælio fudit, & xxv millia captiuo-
rum secum domum rediens abduxit. Rursumque tertio
anno contra eosdem profectus, commissa pugna ab ho-
stibus circumuentus, penè in manus eorum peruenit:
quod sentiens Manuelus dux exercitus, animis suorum ue-
hementi oratione collectis audacter eo perrupit: Impe-
ratorem-

ratoremq; iam fatigatum , ac de salute sua desperantem, causantem tamen fuga se suos prodere nolle , & inuitum periculo eripuit : mortem ei, ni se iter aperientem sequeretur, minatus . Et quartò cum copijs utriusque exercitus in aciem progressi, nulla re gesta domum redierūt . Quinto anno Theophilus longè in Syriam uastando ac populo progressus , Sozopetram Impraelis patriam expugnauit . Quare uehementer irritatus Impraelus, copias undique ingentes cōparat, Amorium Theophili patriam petiturus . Copiæ eius Tharsi conuenerunt : ubi cum Impraelus uenisset, filium suum cum parte exercitus ad Romanum exercitum, qui ad Dorylæum tridui ab Amorio itinere castra habebat, tandem præmittit, eiq; decem Turcarū millia & omnes Armeniæ copias adiungit : qui cum ad Drazymenum esset metatus, Theophilus contra eum progressus, ad locum uenit Anzin appellatum : atq; inde statuit, priusquam manus cum hoste cōsereret, multitudinem hostium speculari . Itaq; à Manuelo in altissimā ductus speculam, hostiles copias (et si Manuel non multitudinem , sed hastarum segetem spectandam moneret) suis robustiores iudicauit . Sed tamen post multam deliberationē prima luce prælium acerrimè est initum : quo in prælio Romanis legionibus fortissimè pugnantibus, Saraceni fugæ se dederunt . Sed Turcis sagittarū nimbo Romanos ab illis persequendis arcentibus, mutata est pugnæ fortuna . Romanæ enim legiones Turcicarū sagittarum uim non sustinentes, Imperatore deserto fugerunt, ducib. illarum & Persis pro eo summa ui dimiticantibus . Verū cœlum tūc Imperatorem iuuit. pluua namq; exigua dela
ta, neruos arcuū Turcicorū relaxauit : quo factum est, ut Romani sagittarū metu liberati, salutis parandæ occasio nem habuerint . Hac suorum uictoria cognita, Impraelus filij copijs cū suis cōiunctis, Amoriam petijt : eumq; profunda fossa cinctū, omni ui oppugnare cœpit: sed cū nihil efficeret, Amoriensis quidam Batidzes nomine, muneribus corruptus, qua' nam ex parte facilius in muros euaderent possent, Sarracenis indicauit: & sic urbs Orientalium

pulcherrima expugnata, deletaque fuit. Qua uictoria elatus Impraelus, Cæsaris legatos ante oppugnationem cum ingentibus muneribus ad se, ut ab incep^{to} desiste ret, rogandum missos: & haec tenus in uinculis deten-¹⁰tos, omnia prius inspicere iussos, cladis nuncios ad dominum remittit. Quos cum Imperator rursus, ut de clarioribus captiuis, quorum magnus erat numerus, redimendis agerent, ac pro eis duo millia & quingenta au-
ri pondo offerrent, misisset: barbarus iterum contume-
liose remisit, stultum se fore inquiens, si captos ea pecu-
nia redderet, cum ipse eo bello decies tantum impendi-
set. Cuius cladis moerore confectus Theophilus, obiit.
Huic successit Michael filius, qui & ipse expeditione in
Sarracenos facta, Samosata urbem ad Eufratem fluvium
sitam, opibus ac robore insignem, obsidione cinxit:
sed dum (propterea quod Sarraceni metum simulan-
tes, intra moenia se continerent) exercitus securè nimis
& sine excubijs degit, tertio obsidionis die, cum milites
omnes (erat enim is dies Domino consecratus) ad sacra
conuenissent, Sarracenis armatis sese patentibus portis ef-
fusis, Romani undique opprimuntur, adeò ut uix ipse
Imperator impedimentis omnibus amissis euaserit. Et
rursus biennio post Sarracenis imperij Romani fines cum
X X X millibus ingressis, Michael ut cladem prius acce-
ptam uictoria resarciret, **X L V** millibus Thracum atq;
Macedonum collectis, eis obuiam it. Sed illi eo cognito,
per difficilia loca compendioso tramite eum dissipatum
in itinere repente adoriuntur, atq; in fugam coniiciunt:
& tunc quoq; Michaelem in hostium potestatem uentu-
rum fuisse tradunt, nisi Manuel phalange perrupta eum 30
cripuisset. Deinde biénio post Mamumo, Impraelis filio,
Calyfa Syriæ imperante, Sarraceni **X L** millium exercitu
coacto, Armeniā & maritima populati uaſtarūt. Quo qui
dem tempore imitatū tūc Calyfam Xerxis factum ferūt,
qui mare flagris cædi iusserat, quod ulterius sibi ad libitū
progrediendi facultatem ademisset. quod grauiter ferens
Michael, Petronam auunculum suum, qui tunc Thraciæ
prouin-

prouinciae præerat , cum magnis copijs contra Mamum misit : qui in loco quodam Lalacæon nuncupato metatus , insidijs undiq; positis , Mamum ad pugnam prouocat : qui instar feræ indagine cinctus , deq; exitu anxius , de regionis loci q; in quo castra posuerat , ac præterlabantis fluuij nomine , quendam è captiuis Romanis perconctatus , cum audiuisset regionis Lalacæonis , loci Ptosontis , amnis Gyris nomen esse (ut erat Græcarum Latinarumq; literarum non ignarus , & philosophiæ studijs deditus) statim nomina illa sibi copiarum cladem , easq; in gyrum à Romanis inclusum iri denunciare dixit . Suos tamen monet ne desperent , sed fortiter se ad pugnam parent . Itaque sequenti die , ut dies illuxit , se undique inclusum sentiens , per eam partem quam Petrona statio ne tenebat , exitum quærere statuit , hostesq; ingenti sublato clamore inuadit : sed conatum suum irritum cernens , paulum se recipit : rursumque inde impetum facit , idq; saepius iterans : tandem desperata salute in aduersos hostes uehementi cum impetu irruit , ibi q; & ipse cædit , & exercitus eius ad interacionem deletur . Et filius eius cum parte copiarum populatum missus , clavis nuncio accepto , statim fuga Melitonam petit . Sed eum qui Charsianis angustijs præerat infecutus , captum Petronæ tradidit . Fuit Mamumus uir certè multis præclaris virtutibus ornatus . nam cum ipse doctus esset , uiros etiam doctos uehementer amabat , magnoq; honore afficiebat : cuius rei præclarum exemplum hic narrare luet . Erat Byzantij insignis quidam philosophus , Leo appellatus : qui cum Thessalonicensium esset episcopus , inde ob imaginum controuersiam , quæ tunc Latinam & Græcam exagitabat ecclesiam , pulsus , Byzantium se contulerat : ibique uili quadam in domo degens , quibus quisque uellet artibus homines instituebat ; unde multi ex eius priuata schola insignes in artium & philosophiæ studijs prodierunt : ac inter cæteros iuuenis quidam summam ex eius disciplina Geometriæ peritiam adeptus , à Sarracenis in bello captus fuit , & in servitudinem

tutem cuiusdam clari inter eos uiri uenit : quem cum Mamumus Mathematicis disciplinis instructum audiisset , coram se sibi iubet : cumque certamine proposito is Arabas geometras eatenus uicisset , quod quarum rerum illi solum usum habebant , ipse etiam causas & rationes adferebat : Mamumus uehementer admiratus (putabat enim artem illam apud solos Arabas uigere) a quo ea didicerit , & num praeceptor eius adhuc uiueret , quærerit . Respondet ille : Leonem sibi fuisse praeceptorem , inopem adhuc uitam agentem , & nulli a-¹⁰
lij rei quam studijs deditum . Statim ergo ad Leonem literas in hanc sententiam Mamumus scribit : Ut ex fructu arbor iudicatur , sic nos ex discipulo praeceptorem cognouimus . Ergo tu , qui tanta rerum ornatus scientia , ignotus tuis ciuibus , nullum sapientiae fructum percipis , ne digneris ad nos uenire , tuque nos doctrinæ participes facere . Quod si feceris , omne Sarracenicum genus tibi colla submittet : ijsq; diuitijs & donis cumulaberis , quibus nemo unquam hominum . Has literas iuueni libertate & multis muniberibus donato , Byzantium perferendas tradit . Qui-²⁰
bus literis acceptis , Leo rem totam ad Imperatoris familiares refert : sicq; Imperatori innotuit , qui eum ditatum publicè docere iussit . Mamumus autem Leonis ad se aduētu desperato , Geometricas aliquot , Astronomicasq; & aliarum scientiarum quæstiones ei discutiendas mittit : quibus à Leone optimè solutis , & insuper signis quibusdam ad futura prædicenda adscriptis , cum eas Leonis literas legisset , summo eius desiderio ardens fertur exclamasse : O' beatos illos , qui tua , diuine Leo , consuetudine fruuntur . Inde statim legatos cum donis ad Imperatorem misit , eiique in hunc modum scripsit : Statueram (ut candidum amicum decet) ipse ad te uenire : sed cum à Deo , cuius summa est potestas , mihi commissum imperium , populusq; subditus ferocissimus , id nō concedant : peto ut Leonem , uirū philosophia alijsq; scientijs præstantem , quem habes , ad me mittas , quo exiguum tempus mecum degens , suæ me doctrinæ , cuius amore flagro , participem faciat .

Neque

Neque ob religionis & gentis diuersitatem hoc differas :
sed mecum amicè agas rogo. quod si præstiteris, tibi mil-
le auri pondo dabimus , pacemque & fœdus perenne te-
cum inibimus . Cui petitioni Imperator, ne scientiæ qua-
rum causa Romani cunctis gentibus admirationi erant,
barbaris proderentur, non annuit : quin potius Græcus i-
pse, & Christianus, à barbaro impioq; homine uirtutem
colere didicit. quod utinam & nostri principes hoc exem-
plo edocti facerent. Is enim Leonē deinceps magnis diui-
tijs locupletatū, summo in honore habuit, Thessaloniken-
siq; iterū ecclesiæ pastorē dedit : ubi & summopere, pro-
pterea quòd Thessalonicensem agrū in summā sterilitatē
redactū, adeò ut incolis aut fame moriendū, aut aliò mi-
grādum esset, suo ingenio, & scientiarū quas callebat ope
ad frugē cōuertisset, fertilemq; reddidisset, eū omnes uene-
rabantur. Sed tempus est, ut ad Occidentis res redeamus.
Mauritani Sarraceni ex Sicilia, in qua iam diu multa oppi-
da obtinebant, Saba duce in Italiam traijcientes, Taren-
tum oppugnabant : cum Græca & Veneta clasis simul
iunctæ in Calabriam delatae sunt, ad eam urbem obsidio-
ne liberandam. quo audito , Saba timorem, ut hostem in
certamē traheret, fingens, soluta obsidione uitabundo si-
milis , concessit in Crotoniatem sinum : ubi non multo
post prælio commisso, & Græcorum agmine statim in fu-
gam uerso , omnis Sarracenorum uis in Venetos fortius
dimicantes uersa est : pauciq; à tam ualida classe circum-
uenti, partim cæsi, partim fluctibus mersi, Veneti ad u-
num eo prælio periēre . Qua uictoria elatus Saba , Ionij
maris ora celeriter enauigata, Illyricum petit: cuius pro-
vinciæ oram dum populabundus legit, ad Venetarum na-
uum, quæ Syriaca onustæ merce aduentabat, famam, in
Tergestinum sinum classem celeri cursu contrahit : un-
de nauis ex insidijs adeptus diripit, negociatores & socios
nauales remigesq; omnes incredibili Veneti nominis o-
dio trucidat. Hinc transgressus, Anconem, nobilem Picæ-
ni urbem, & pulchro portu celebrem, ui capit: captam di-
ripit, & incendio absunit, paucis oppidanorum captis. o-

mnes enim ferè repentina trepidatione dilapsi, in mediterranea se receperant. Paulo pòst alia eiusdem gentis clas sis, urbis Romæ oppugnandæ consilio ad Hetruriæ oram appulsa est : cuius repentinus aduentus cum totā urbem terrore repleuisset, Leo IIII pont. populo ad concionem conuocato, in hanc sententiam uerba fecit: Quid uos filij trepidare uideo? aut cur tātus timor animos uestros occu pauit? nihil numine inuito, inscio' ue, aut nobis immeren tibus accidit. Tum nos pauere & formidare decet, cū innumeris flagitijs Dei opt. max. iram in nos prouocamus: 10 cum ciuib. discordijs odijsq; accēsi, arma in nostro smet sumimus, cum frater in fratris necem conspirat. Omnes enim Christum seruatorē confitentes, fratres sunt. Tunc (inquam) hēc, uel his deteriora nobis erant ab irato numi ne speranda. nā si existimatis, has barbarorum impiorum que hominum manus nō diuinitùs in nos immitti, longè fallimini. Id enim & diuina oracula passim testantur, & exempla omnia docent, ipso Deo dicēte, se impijs & nomi nis sui hostibus ad infidos perduellesq; persequendos usu rum. scimus enim, Gr̄ecorum dissidia atq; flagitia huic pe 20 stiferę genti in Christianos s̄aeuiendi occasionem dedisse: & in Hispaniam quoq; non' ne Gottorum & Rodericire gis scelera eos traxerunt? quibus fractis atq; mulctatis, ubi in bonos & sanctos uiros arma conuerterunt, à paucis repulsi, fusi, cæsiq; sunt. Ergo hanc ignauissimā gentem magis quam Deum ipsum opt. max. timemus? cum eius iram singulis horis & horarum momentis in nos prouocare, cum in eum conuicia iacere, eiusq; maiestatem lādere nō dubitemus: huius uero gentis solo nomine audito, trepide mus? quasi mortalia arma magis sint timenda, quam sem, 30 piternæ pœnæ. Vbi nunc sunt antiquæ illæ & Romanorū propriæ virtutes, fortitudo, laborum tolerantia, & animus in rebus aduersis inuictus? Maiores nostri prius quam orbi terrarum Christi nomen innotuisset, cum adhuc sub falsa religione degerent, nullam hostium uim timuerunt, & parua s̄aepē manu ingentes hostium copias fuderunt. Galli, gens ferociissima, & nunc ipso aspectu ob cor-

ob corporum magnitudinem formidabilis, imperij Romani adhuc angustis finibus, & urbe non ita magna, animis hominum potius repente ferocissimæ gentis, & maximi exercitus atq; hominum inusitata specie aduentus terrore percussis, urbem hanc nulla tunc arte munitam cæperunt quidem: sed tamē Capitolium nunquam capere potuerunt, & mox, unius exulis Romani uirtute, insigni cum clade repulsi sunt: & tamen non tantæ tunc erant Romani imperij uires, quantæ nunc sunt. Neque enim imperium latius quam Romanus ager patebat: nūc autem cum maxima Italæ pars Romano sit subiecta imperio, & urbs ipsa frequentissima, & non iam unicam Capitolij arcem, sed præterea etiam integrum oppidum nostra opera urbi adiectum, & omni arte munitum sit, cum tot principes uiros habeatis maximis bellis exercitatos, & sacrosanctæ religionis sedem: non Gallos, gentem nobilissimam, non Gotorum ingentes copias, non denique Hunnos nobilissimarum urbium euersores, sed ignauissimā Asiæ gentem, uel Mauritaniæ prædonum impissimorum conténendam manū formidatis. Capitoline arci humanum caput in ea inuētum, eiusmodi fatum dedit, ut à nulla gente capi potuerit. An existimatis Capitolium Saturni sede tutius sanctiusq; olim fuisse, quam nūc, uera religionis arce adiecta? Nunquam, mihi credite, in hac urbe Sarraceni, uel ulla alia impia gens, quæ Christi nomē auersetur, sedem ponet. Eo sidere condita urbs Roma est, ut perpetuum habeat imperium: eoq; fato hoc nouum oppidum adiectum est, ut religionis sedes sit, quod Apostolorum principis basilica augustissima promittit. Sed fortassis se putatis, Deum peccatis nostris irritatum, eis in nos gransandi potestatem dedisse. fateor quidem nos hæc & maiora commeruisse, & non sine diuino numine hanc procellam in nos immitti, ut his cladib. moniti, ad frugem redeamus: & tamdiu illos potestatē in nos habituros, quamdiu nos in peccatis pertinaces erimus. Sed ubi ad Dei Christi que misericordiā conuersi, pœnitētiam agentes, opē eius implorauerimus, statim impia gēs nobis cedet; ingētemq;

eius stragem edemus, iniurias superioribus annis ab illa & nobis & diuino numini, cuius templa prophanarunt, illatas ulciscentes. Nisi forte arbitramini, Astures, Cantabros & Francos, qui hanc gentem saepius ingenti strage profligarunt, uobis meliores fuisse. Non erant, mihi credite: neq; enim Deus anteactam uitam nostram magis quam præsentem mentem animuinq; respicit. Sed Pelagio, & aliorum sanctorum uirorum sermonibus admoniti, ad Deum conuersi opem eius implorarunt, qui se ex animo rogantes nunquam deserit. Resipiscite igitur, & cogitate nitendum uobis esse, ut pietate & fide nulli genti cedatis. Et pristinæ uirtutis nominisq; Romani memoræ, arma audacter, uel me duce ac præeunte, in hostem ferte, certissimam (si modò, ut dixi, feceritis) de barbaro hoste uictoriæ relaturi: & ij quos in pugna cadere continget, præter gloriam, uitam quoque sempiternam statim consecuti.

His dictis omnes qui ad militiam erant apti, arma ceperūt: eumq; Ostiam sequuti sunt, hostem in littus egredientem prælio excepturi. Vbi cum hostem in conspectu habuerunt, pont. militibus Deum precari iussis, huiusmodi uerbis diuinam opem implorauit: Deus omnipotens, qui Gedeoni cum parua manu de hostibus uictoriæ dedisti, qui te sanctè colentes nunquam tua ope destituisti, preces nostras propitius suscipe: & filij tui, qui sanguinem suum pro salute nostra profudit, meritis concede, ut haec piorum manus aduersus tuæ fidei hostes dimicatura, tuæ maiestatis dextra roboretur. Et tu CHRISTE IESV Seruator noster, quemadmodum Petrum in fluctibus ambulantem, ne mergeretur, erexisti: & alterum Apostolum tertio naufragium passum, de profundo mari seruasti: sic nos nunc hac procella eripe, & ualidiores contra impios redde, ut parto de his triumpho, nomen tuum cunctis sanctum sit, & gloriosum. Deinde pugnæ signum dedit, nec ullo unquam tempore populus Romanus alacrius pugnam inijt, ut non ad dubium pugnæ eventum, sed ad certam uictoriæ mitti uideretur. Pugnatum

gnatum primò est aliquandiu æquo marte , fuitq; cruentum prælium . Postremò fusi fugatiq; Sarraceni , & ad naues cum multa cæde compulsi sunt . Ingens hostium numerus uarijs casibus perijt , & multi capti : quorum plerique sunt circa portum ad aliorum terrorem , in uito tamen pont. qui ut miti erat ingenio , à captiuorum cæde abstinentem censebat , laqueo suspensi : reliqui Romam perduerti , publicis operibus sunt attributi . Aedificauerat enim Leo in Vaticano ciuitatem Leoninam ,
 10 hodie Borgo appellatam: in eamq; Corforum , quos Saraceni insula eiecerant , coloniam deduxerat , agro eis quem colerent , circa Vaticanum uiritim adsignato : hanc autem assiduè magis muniebat , ornabatq;. Posthæc Saraceni , qui Cretam obtinebant , in Illyricum & Histriam classe delati , Gradum urbem , Venetorum imperio subiectam , circumsedere . Sed hinc subitò Veneti ducis accessu depulsi , nauibusque repente eductis in altum abiēre . Fuit hoc anno Salutis DCCCLXV . Et in Oriente Basilius Macedo , bello contra Cretenses Saracenos suscepito uictus est : multisque cæsis , parum absuit quin ipse caperetur . Quorum post audaciam fregit Christophorus , contra eos in Cretam ab eodem cum exercitu missus . & ipse Imperator cum exercitu in Syriam profectus , castellis quibusdam captis , & magna populi tione facta , Tephricam , nobilissimam Sarracenorum urbem oppugnauit : sed cum eam nisi longa obsidione capi non posse animaduerteret , castris inde motis , Euphratem fluuium nauali ponte traiecit : ac circumiecta loca populatus , multis castellis oppugnatis , alijs uero in de-
 20 ditionem acceptis , ad urbem redijt . Inde rursus expeditione in Syriam contra Sarracenos suscepta , Germaniam inuadit : & suburbis incensis , urbem Adatam obsidet , quam ciuibus negligenter defendantibus , non tamen cæpit . cuius negligentiae causam ab eis scitanti Basilio , respondit senex quidam : In fatis non esse , ut ipse eam caperet : sed Constantinus quidam , qui ab ipso genus esset ducturus nec tamen eum esse Constantinum ipsius
 30

filium, quem secum in castris habebat. Quo responso irritatus Basilius, maiore conatu oppugnationem est aggressus. sed quum uideret se nihil efficere, inde discessit: captiuis, ne motum aliquem excitarent, ne ue custodia opus esset, interfici iussis. Deinde Tharsensibus Sarracenis prouincias Romanas infestantibus, Andream cognomine Scytham contra eos misit, quo audaciam illorum reprimente, Tharsensium rex minaces, & in Deū contumeliosas literas ad eū misit: quibus scribebat, si ipse illum inuasisset, nihil ei Marię filium profuturum. quorū uerbo ¹⁰ rum mox poenas dedit. Nam cum ipsem ad exercitū ue nisset, Andreas contra eum copias eduxit: commissaq; pugna Sarraceni in fugam uersi, maxima ex parte cadunt, ipseq; rex iugulatur. Sed cum Andrea ob inuidiam apud Cæsarē, quasi Tharsum capere, cum potuerit, noluisset, delato, Stytiota quidam in eius locum exercitui præpositus fuisset: Sarraceni nullas in castris eius excubias esse agnoscentes, noctu ea aggressi, multos cæciderūt, reliquos in fugam cōpulerunt. Ab alia parte Sarracenis Africānis, Ragusium in Illyrici ora obsidentibus, & Ragusinis auxiliū ab Imperatore petētibus, Basilius centū bellicas nauis eis subsidio misit. quod ubi Sarraceni cognoverunt, soluta obsidione Italiam petūt: captaq; Bari urbe, Calabros, Apulos, Lucanos & Salentinos incēdio, cēde, rapinis penē ad internecionem affligunt: & iam de Roma ac totius Italiae imperio inter se diuidendo agitabant, quum Iohannes pontifex publico periculo motus, ab Alberico, cuius opes latè in Hetruria uigebant, auxilium implorat: qui cum ualidissimo exercitu etiam Romæ delectu habitō, cum illi iam in Romanum irrupissent agrum, primū ²⁰ eos non procul ab urbe prælio uicit: inde ad Lirim fluum circa Minturnas, sic eos fudit, ut de Italia deserranda cœperint cogitare: quamobrem omni maritima ora incensa, in Apuliam concessere: & arce in Gargano monte facta, ac sub iugo montis oppido ad belli sedem communito, per multos annos Italiam infestârunt. Inde Beneuentum adorti, ui capiunt, diripiunt, & incen-

incendunt. quo exemplo territæ finitimæ urbes, eius gentis præsidia admisere. Verùm subsidiarijs copijs à Romanopontifice missis, barbari præda magis quām iusto bello rem agentes, sine prælio Rom. finibus cessere. Et alia eiusdem gentis classis ex Africa profecta, Genuam graui obsidione pressam ui cœpit: propugnatores primo ingressu trucidati, puellas, matronas & mares impubes nauibus impositos, in Africam deportârunt. Sed Dandulus Venetus tradit, omnes uirilis sexus pòst in partiam rediisse: quo aut modo id factum sit, nemo scribit. Fuit Genua capta anno Salutis Christianæ supra nongentesimum trigesimo quinto. Inde anno sexagesimo nono supra nongentesimum, ab Othono, Germanorū imperatore, à Gargani arce, prius à Dalmatis deiecti, & à Pannonibus multis cladibus attriti, prorsus Italia pulsi sunt Sarraceni. Græci hîc Italiam Constantinopolitani imperatoris ope, Francis in ipsius Imperatoris gratiam adiuantibus, Sarracenorum metu liberatam gloriantur. Adjunt enim, Italiæ populos, ubi Ragusium à Græca classe obsidione liberatum audierunt, se ei imperio subiicienes, auxilia & ipsos petijisse. Quamobrem Basiliū per literas cum Francorum rege, ut eis opem ferret egisse, ab eoq; Sultanum captum, & Capuam perductum fuisse: qui pòst populi Capuani, cum quo contra regem conspirauerat, beneficio, rege inde pulso, liberatus, ipsis Capuanis bellum intulerit, sed Græcis opem ferentibus recesserit: hunc Francum regem, cuius mentionem injiciūt, Carolum Crassum v Germanorum Imperatore esse puto. eius autem rei fides penes Græcos esto. Quod si fuit, nō tam tunc prorsus Italia pulsi sunt: sed multo pòst Othonē imperante. nā diu Sarraceni arcem in Gargano habuêre. Et in Oriëte Esmā Calyfa cū magna classe Euripi urbem aggressus, nihil effecit: quin ipse in oppugnatione lethali uulnere accepto obiit. Et Cretenium Sarracenorum classis, dum Aegei maris oram & insulas populatur, in Romanam incidit: à qua multæ naues igni in cineres redactæ, multæ fractæ, & plures demersæ sunt. Quod periculū qui ex illis

ex illis euaserunt, cum magis irritati Peloponnesum & uicinas insulas uexarēt: & Byzantinæ classis præfetus, cum ad portum Cenchrearum applicuisset, ac naues hostiles circa Methonem, Pylum & Patras crebrò stationes habere didicisset, triremibus per Isthmum Corinthiacum celeriter terra traduētis, eos repente aggreditur: ijsq; improuisa impressione percussis, hostium naues partim cremat, partim cum ipsis uiris demergit, duce quoque illorum Photio imperfecto. Verū ex Africa sexaginta ingentes naues Romanis prouincijs uastans, Cephalenem & Zaconiūm usque processerunt: contra quos Narsam, Byzantinæ classis præfetus, missus est. sed triremibus remigium fuga penè evacuatis, cum hoste congredi non est ausus. Sed cum classiarios aliquot Sarracenorum captiuarum, quos classiriorum more indutos palis affigi iussit, supplicio terruisset: illi noctu hostem aggressi, alijs cæsis, alijs captis profligârunt. Deinde in Siciliam transuecti, urbes quæ Sarracenis parebant, uastârunt. Interea uero Messeniaci Sarraceni nauibus aduecti, Phœniciae & Syriæ oram infestârunt. Deinde Leone, qui Basilio Macedoni successorat, templis condendis occupato, Lemnum insulam multis mortalibus cæsis occupârunt. Inde aliquan- diu quieuerunt, ad Romani Pueri imperium usque. is enim Nicephorūm Phocam contra Cretenses Sarracenos misit: qui eos septem mensium spacio, illis multis prælijs profligatis, oppida omnia subegit: Candacem metropolim eorum euertit. Leo autem eius frater, in Syriam contra Camadam, Chalepi dominum, Sarracenum missus, barbaro acie superato, magnā eius exercitus partem prælio cecidit: reliquam cæpit, ipso duce cum admodum paucis ægrè elapsō. Quamobrem Leo triumphans, in urbem redijt. Sed Camada uires reparante, Nicephorus ex Creta rediens, Syriam petere iussus est: qui pugna commissa, hostes illustri uictoria superauit. & Berrœa præter arcem uastata, maximis diuitijs est potitus: & captis penè innumeris, multos Christianos uinctos liberauit. Deinde hoc Nicephoro Phoca imperante, Manuel patricius, Leonis nothus,

nothus, in Siciliam cum ualida classe contra Sarracenos missus, ob imperitiam cum omni exercitu ab illis cæsus est. Eodemq; tempore Ioannes Zimisca, qui pòst imperium est adeptus, in Ciliciam missus, apud Adanam urbem Sarracenos uicit. Deinde ipse metu Nicephorus cum magno exercitu in Ciliciam profectus, Anabarzam, Rosam & Adanam, eius prouinciæ urbes, aliaq; plura castella cepit: pòst in Cappadociam in hyberna regressus, ueris initio rediens, fratre Leone cum copiarum parte Tharsum misso, ipse Mopsihestiam obsedit: quam cum mediam flumen Sarus diuidat, altera eius parte oppugnata, Sarraceni igni iniecto, in alteram se receperunt: qua & ipsa capta, omnes cæsi sunt. Quare audita, Tharsenses imperatori se dederūt. Et triduo pòst classis Aegyptia Tharsensis auxilio missa, ad terram appellendi facultatem non habuit: eademq; in reditu & uentorum procellis, & Romanarum triremium incursionibus maxima ex parte perijt. Imperator Constantinopolim reuersus, Aeneas Tarsi & Mopsihestiae portas exquisiti artificij, nouis ornamenti additis, arcu ad Orientalem & Occidentalem partem accommodauit. Deinde Syriam inuasit, & urbis ad Libanum & iuxta mare sitis, partim expugnatis, partim uastatis, ad Antiochiam, quam flumen Orontes aliuit, uenit. Sed Antiochenis acrius resistentibus, accedente etiam comeatus penuria, & solo imbris inundato, castellum in Tauro monte, quem hodie vulgo Maurum uocant, ædificauit: Michaele Burre, quem patricium fecit, & Tauri montis ducem nominauit, ad infestandos Antiochenos ibi relieto. Petrum uero quendam ex eunuchis suis, fortem, constantem, & rei militaris peritum, castrorum præsidem designauit, ut locum exercitui daret ad hybernandum in Sicilia: ipso autem Byzantium reuerso, Burzes crebris excursionibus Antiochenos Sarracenos infestabat, assidue de capienda urbe & gloria sibi comparanda cogitans: & turris eiusdem altitudinem claram mensus, paratis scalis illi paribus, nocte hyberna tembrofissima & niuosa tacite mœnibus urbis succedit: af-

fixisq;

fixisq; scalis cum trecentis, quos clām adduxerat, ascendit:
 custodes turris, & obuios quosq; cædit: ac statim castrorū
 magistro nunciat quid fiat, illumq; ad opem ferendam
 accersit. Interea Antiocheni, ubi turrim occupatā esse co-
 gnouerunt, eò alacriter ad Romanos repellendos concur-
 runt. Magister aut̄ castrorū, ut qui in mandatis ab Impera-
 tore ne Antiochiam inuaderet (quòd urbis eius captiuita-
 tem interitū Imperatoris cōsecuturū uulgata fama erat)
 accepisset, ancipiti cura distractus: tamen ut tot uiri fortes
 perirent, nullo modo cōmittendum ratus, cum omnibus 10
 copijs Antiochiam inuadit: quo factō, statim & manus &
 animi Sarracenorū cōciderunt. Burzes uero cū suis iā de-
 sperata salute reuixit: & porta bipenni refracta, liberū in-
 gressum castrorū magistro prēbuit. & sic facilè clarissima
 urbs in Romanorū potestatē uenit. quam paulo pōst Ioan-
 ne Zimisca imperāte, Sarraceni cōmunib. omnium tum
 Orientis, tum Occidentis uirib. sed quia Syrię Calyfę iam
 tenues erant uires, Cairoani Africæ Calyfę auspicijs recu-
 perare nixi obsederunt. quib. cum ciues cōstantius resiste-
 rent, Imperator hac gentium cōspiratione cognita, Meso- 20
 potamię ducē obsessis opem ferre iubet: à quo prēlio com-
 misso, Sarraceni et si numero longè Romanis superiores
 essent, profligati sunt: sed quia uideo Sarracenorū impe-
 riū ad finē iam excidiumq; properare, sunt nobis prius
 quām ulterius progrediamur, reliquę illorū in Africa at-
 que Hispania quām breuissimē fieri poterit, persequendę:
 & primū de Hispania dicemus, deinde in Africā transi-
 bimus. In Hispania igitur Ramirus Legionis rex, anno
 post Christum Seruatorē natum primo supra nongente-
 simū, Sarracenis bellum inferens, Madritum illorū oppi- 30
 dum euertit, eosq; prope Osmam fudit, ac Cæsaraugustæ
 regem Beniam sibi uectigalem fecit: cumq; iterū Abdu-
 rameni Cordubæ regi fœdere iunctus rebellaret, eum
 prēlio quo triginta Sarracenorum millia ceciderunt, pro-
 pe Simancas fudit & cæpit, multaq; alia illis damna intu-
 lit. deinde cum Talaueram obsideret, Toletanos Sarrace-
 nos obsessis opem ferētes, septem millibus captis, & duo
 decim

decim cæsis uicit. Post Abduramen, Cordubæ rex, Sanc-
cium Legionis regem, regno à suis pulsus, qui ad ipsum,
ut morbo quodam ab eius medicis toto terrarum orbe ce-
leberrimis sanaretur, uenerat, curatum suis copijs in re-
gnum restituit. Sed eo post defuncto, Sarraceni, Siman-
cas, Duengas, Sepuluedā, Gormas, Legionensis regni oppi-
da cæperunt, ac Zamoram euerterunt. & paulo post etiā
Portugalliam Lusitanæ caput, atq; Compostellam dele-
uerunt. & Abduramene defuncto, Allagibus, qui ei succe-
sit, se, ut multitudinē alliceret, Almansorem, hoc est Man-
foris regis sui propugnatorem appellans (tunc enim Mar-
rei, quam urbem Occidentalis Sarracenorum imperij se-
dē fuisse ostēdimus, Mansor regnabat, cui omnes Hispanię
Sarracenici generis reguli parebant) maximis copijs col-
lectis, Castulonensium, Legionis & Cantabrorum fines
inuasit: & Legionis urbem penè deleuit, turrem & propu-
gnacula, quę omnia marmorea erant (una tātum, ut me-
moria pristini eius urbis splendoris extaret, relicta) diruit.
Asturicā, Coiacā, quæ nunc Valentia est (non quidem illa
ad Mediterraneum mare, sed in Legionensi regno & Py-
renēis) ac Sansagmum; aliaq; oppida multa cæpit: & in Ca-
stulonēsib. Osmā, Alcobetlam, Berlangā, Atienzā deleuit:
atq; in Gallecis Iacobi fanū cæpit, & cāpanas Cordubā fer-
ri iusit, ijsq; pro lampadis in sua meschita usus est, bellum-
que in duodecimū annum circumtulit. Sed tandem Ber-
mudes Legionis rex, suis & Castulonēsium atq; Cātabro-
rū uiribus collectis, in loco qui Calataiacor uocatur, cū eo
cōgressus est: ibiq; per integrū diē pugnatum est, multaq;
Sarracenorū millia cesa, & Almansor cū suis fugiens præ
30 incerore obiit. Hispani castris direptis, opima præda sunt
potiti. quam cladem refarcire uolens Abdīm̄ licus eius fi-
lius, fractus & ipse fuit. Sed post Alphonso Bermudis filio
regnāte, Sarraceni rursus in Castullonensium fines irrum-
pentis, Auilam deleuerunt, Ormetū aliaq; aliquot oppi-
da cæperūt. Alphonsus uero Legionis urbem instaurauit.
Posthęc orta sunt uaria inter ipsos Sarracenici generis re-
gulos, qui Hispaniā obtinebant, ciuilia bella: unde Christia-

norum vires quotidie magis in ea prouincia inualuerunt, adeò ut Mahometo Enasir, Marroci pontifice, prope Valentia in Gottalania uiecto, & sexaginta Sarracenoru milibus cæsis, anno Salutis supra millesimum centesimo & quinquagesimo, pòst triginta annorum spacio Christiani Valentiam, Deniam, Alicantē, Murciam, Carthaginē nouā, Cordubam, Sibiliam, Iaē & Vbedam recuperârint: & Sarraceni solum Granatę regnū retinuerint, quo tandem à Ferdinando, postremo Tarraconensium rege, Caroli V. Cæsar is auo materno, pulsī sunt. In Africa uerò 10 quidam qui se uatē, & ex Muamedis stirpe oriundum prædicabat, nomine Elmahelis, homo in montibus & natus & altus, anno à Christo nato circiter millesimo, seditione in religione excitata, Cairoani (quam urbem haud procul Carthagine, sed in mediterraneis Africę caput factam fuisse ostendimus) & item Abraemo Marroci regib. pulsis, utranq; Mauritaniam, & Africam totā, Numidiam item & Libyam ad Nigritarū & Aegypti fines usq;, regia pontificiaq; sede Marroci collocata, subegit: & Marroci rex, Habdulmumenem, qui illum cum Elmahelis copiarum 20 parte persequebatur, fugiens, Oranum urbem ad mediterraneum mare in Mauritania Cæsariensi sitam, peruenit: unde cum à ciuibus receptus non fuisse, miser rex omni spe amissa, solus cum uxore, quæ eidem equo insidebat, altissimum montem, qui mari imminebat, ascendit: atq; ibi equo calcaribus impulso, se de rupe cum uxore & equo præcipitem dedit: & sic tres illi mortui, totiq; confratiti in littore sunt inuerti: & Habdulmunes Marrocum reuersus, Elmahelim mortuum inuenit, ac ipse in eius locum rex & pontifex creatus est: cuius posteri, hoc est Iosip, pus filius, Mansor nepos, & Machometus Enasir, cuius suprà mentionem fecimus, pronepos regnum illud obtinuerunt. Sed dum Mahometo defuncto, decem eius liberi inter se pro regno dimicant, Marina gens Fessae regnum occupauit, & Habduluadea familia Telensi regnum inuasit: ac Tunetano magistratu moto, regem ibi creauit. & alij Africæ reguli omnes ab Marroci regum imperio defece-

defecerunt: & Sarracenorum potentia in Africa non se-
cūs atque alibi imminuta est, atque imperij illorum no-
men extinctum.

C. AVGVSTINI CVRIONIS SAR-
RACENICAE HISTORIAE LIBER TERTIVS.

*In quo Sarracenici imperij euersio, & Turcici origo atq; incrementa ad Otto-
manum usq; . unde Iouius & ceteri tum Latini tum Græci Turcicarum rerum
scriptores historias suas auspicantur: & item Tartarorum, Mamalucorum, Af-
sassinorum, Sophianorumq; origines explicantur, trecentorum anno-
rum ante Ottomanidas, Turcicas historias continens.*

10



O V V S mihi nunc rerum nascitur ordo,
& res maximè memoria dignè enarrandæ
occurrunt. In ea enim tempora nos traxit
Sarracenicarū rerum explicatio, quibus ue-
tere & uero Sarracenico imperio corruen-
te, quasi legitima Muamedis stirpe exclusa, nothi ac spurij
filij hæreditatem occupârunt: & non ut illi, religionis spe-
cie, sed ui & armis, nouum duriusq; ac firmius impe-
rium cōstituerunt: quod tantum à priore illo distat, quan-
tum ferri duricies à plumbi mollicie differt. Nam et si in-
gens fuerit, & grauissima illius moles, adeò ut falsæ reli-
gionis ferore diffusa, totum penè terrarum orbem inun-
dârit, obrueritq; : sèpius tamen uel ualidis militum armo-
rumq; aggeribus obiectis, non modò inhibita est eius uis,
uerùm etiam arctioribus quàm antea finibus inclusa, uel
intestinarum seditionum flamma cōcitata, in uarias par-
tes dilapsa disiunctaq; est, quæ pòst longo terrarum spa-
cio ab illius Arabicæ Babylonicaeç; officinæ, unde erupe-
rant, igne disiunctæ, ita gelu concretæ sunt, ut amplius
30 mouere se non possent: sicq; à tota mole distractæ, leuio
resq; redditæ, aut amotæ sepultæq; sunt, aut nouo igne ac-
cidente tandem propria flamma conflagrârunt. quod
& ipsi officinæ eadem ratione accidit, donec noui uali-
diioresq; fabri uenientes, durius metallum sub incudem
posuerūt, quo plumbi mollicie munirent, eiusq; officinæ
dignitatē tuerentur. Nā quū, ut ex ijs quæ duob. primis li-
bris narrauimus patet, cū Sarrenis per quadringentos

o 3 fermè

fermè annos uaria semp fortuna maiores nostri bella ges-
 ferint, adeò ut, quamuis ingentes fuerint statim ab initio il-
 lorū uires, & Christiana Resp. tunc semper & seditionib.
 intestinis agitaretur, & barbarorū crebras incursiones pa-
 teretur, & Byzantinę arcī eneruati mollesq; imperatores
 præessent: sēpe tamē ingentibus illos cladibus affixerint:
 & modò Syriam, modò Armeniam, modò Persidis par-
 tem, aliasq; prouincias recuperārint: semper autem Euro-
 pam uniuersam, aliqua Hispanię parte excepta, Asiam mi-
 norem, Medium, Parthorumq; regna, Bithyniam & Cap¹⁰
 padociam, cum multis alijs prouincijs obtinuerint. Turca-
 rum uires iam à sexcentis ferè annis in nos grassantes nun-
 quam reprimere, aut imperij illorum incrementa sistere
 potuerunt, uel eos semel captis locis expellere: tantā uim
 habet militaris disciplina, tantumq; distat Septentriona-
 lium populorum ferocitas ab Australium mollicie. Qui,
 unde & qua occasione eruperint, iā explicabimus. Basí-
 lio Porphyrogenito Byzantij imperante circa annum Sa-
 lutis nostrę millesimum, cum (ut superiore libro narraui-
 mus) plures tyranni Sarracenicum imperium inter se di-²⁰
 uisissent, & quatuor de summo pontificatu semper con-
 tenderent, bella atrocia inter se gerentes: ortum est inter
 Muchumetum Persidis, Corasmiorū, aliorumq; populo-
 rum principem, & Syriae Calyfam, qui Bagadeti sedem
 habebat, graue bellum: in quo cum Muchumetum Ba-
 bylonius Sclepi & Romanorum captiuorum opera supe-
 raret, Muchumetus Turcarum auxilia accersiuit: quo-
 rum opera (ut ex ijs quæ suprà narrauimus, patet) iam ab
 aliquot annis Sarraceni in bellis, ut qui religionem ipso-
 rum, ritusq; statim primis illis eruptionibus, quas in Sarra³⁰
 cenorum fines fecerunt, amplexi essent, uti consueuerant.
 Hi regionem intra Caucasum montem, nec non & ul-
 tra ad Septentrionem incolebant: sic etiam à Plinio nun-
 cupati. nam illorum qui eos Tartaros fuisse putant, opi-
 nionem falsam esse, ex ipsa historia patebit: ijdemq; &
 Hunni Tentarites, uel Tussagetae appellati. nec tamen
 me latet, hæc nomina à Plinio ita distingui, ut Tussagetes,
 Turcas,

Turcas, Moschos & Vdinos, quos nos Hunnos esse arbitramur, tanquam diuersos populos numeret: eosdemq; à Græcis Byzantinarum rerum scriptoribus commisceri, adeò ut de ijsdem loquentes, omnibus his nominibus eos absq; discrimine nuncupent. quod locorum fortasse propinquitas effecit. Sed tamē cum Byzantinis scriptoribus, utpote finitimis illorū, fidem omnino adhibendam censem, nec interea Plinio, grauissimo scriptori, autoritatē derogare uelim, sic existimo. Scythiae populos, qui regionem Taurum montem inter & Borealem Oceanum à Tanai flumine ad extrema usque Orientis littora, qui traetus medium Asiæ partem cōplete titur, latissimè tenent, olim (ut hodie adhuc sunt) in multas tribus distributos fuisse: in quarum numero Hunni siue Vdini Moschi, Turcæ Tussagetesq; , qui regiones Mæotidi , & Tauro propinquieriores incolebant, fuerint . Sed ut modò hi , modò illi bellicis artibus & potentia præstiterunt , ac cæteris imperârunt: sic reliquos omnes populos ab ea gente, quæ regnum obtinebat, cognominatos fuisse : quo factum est, ut ab rerum gestarum scriptoribus omnes hi populi, modò Hunni, modò Moschi , & modò Turcæ fuerint appellati. Sed Hunnorū qui loca magis ad Scythicū Oceanū, ut Plinius & alij multi scriptores testantur, incolebāt, res multò ante Turcarū potentiam floruerūt. Illis aut̄ ad Europā populandā finib. suis digressis, Turcæ, Tussagetesq; & Moschi fines suos promouere cœperūt: & Moschi quidē Moschici mōtis accolæ, regionib. circa Tanaim occupatis ibi conderunt, unde pōst regio illa Mosconia dicta est. Moscos autem Turcas esse, Cedrenus, Zonaras, & alij Græci scriptores testant̄, eosdem passim etiā Hunnos appellantes: quapropter minimè absurdum uideretur, si quis diceret hos omnes ab Hunnis oriundos fuisse, quorū generis cōditor Hunnus Tuisconis filius (Berofo Chaldæo autore) fuisse perhibet, qui pōst in colonias diuisi uaria nomina à ducib. suis sortiti sunt: semper tamē, ut à ceteris Scythis distinguerent, gētis suę cōditoris cognomē retinuerint. ex his uero illos q; in regione à maiorib. suis primò occupata pmāserūt, patrias-

patriasq; artes, hoc est magicas & dæmonum commercia retinuerunt, absque alio cognomine Hunnos appellatos . nam Hunnos ita magicis artibus deditos fuisse accepimus, ut multi eos à Faunis agrestibus genitos credidissent . Verùm Turcæ atque Tussagetes ab illis oriundi, & Caucasi montis septentrionale latus, ut diximus, incolentes, multum uita, moribus & institutis ab ijs differebant, ita inter se similes & fœdere iuncti, ut pro eodem populo haberentur: & fortasse etiam ijdem erant, sed ab uicinis Armenis, à quibus ritus accipiebant, quiq; Sagæ,¹⁰ id est sancti uocabātur, sic, quasi prophani, appellati sunt. Tentarites enim, ut in Secūdo libro indicauimus, gentiles uel prophanos significat. nam à multis scriptoribus hæc nomina ita cōiungūtur, ut alterū nomē, cognomē alterū uideatur. Hos Procopius ait, reliquis Hunnis minimè uicinos fuisse, & nihil ad eos pertinuisse: sed Borealiū Persi dis partium, hoc est Armeniae finitimos. nā Armenia semper ferè sub Persarū regibus fuit. Nec, ut ceteri Hunni uel Scythæ, Nomades erant: sed optimā inter montes & colles incolebant regionem, solique Hunnorum albi erant.²⁰ nec ut cæteri, fœdi aspectu, uel ferarum more uiicitantes: sed sub uno degentes principe, benè institutam rempublicam habebant: & non secus ac Græci, Romani, aliæ-ue excultæ gentes inter se, & cum uiciniis ius fasque colebant, urbem Corga nomine regni sedem habentes. nobiliores ditioesq; inter eos, perpetuò uiginti, uel plures, pro facultatum ratione amicos apud se conuiuas habebant, cum quibus & fortunæ & auctoritas, potestasque communia illis erant: ut idem Procopius narrat, & ho dierna illorum institutio testatur. Nec desunt, qui Tur-³⁰ carum originem ad decem illas Israelis tribus, quæ in Me diam translatæ fuisse, apud Iosephum leguntur, referant: cuius rei argumento morum similitudinem adducunt. alij uerò ad Gogum & Magogum, quorum in Sacris literis mentio fit: à quib. nos Tartaros, & fortasse etiam Got tos ortos arbitramur, & alij ad Troianos. quas opiniones uel refellere, uel confirmare, minimè nostri instituti est,

cum

cum non probabilia indicia , sed ea quæ ueterum tum
Græcorum & Thracum , tum ipsorummet Turcarum ,
& aliarum illis finitimarum gentium certissimis historia-
rum monumentis memoriæ tradita inueniuntur , perse-
quamur : quæ sic se habent , ut suprà explicauimus . Ab
horum igitur principe Muchumetus tum contra Babylo-
nium Calyfam auxilia petijt , ijsq; Tangrolipice Mucale-
to duce acceptis , cum Pisafirio Babyloniæ Calyfa confli-
git , eumq; nullo negocio Arabibus Turcicarum sagitta-
rum nimbum non ferentibus superat : & domum uictor
reuersus , ijsdem Turcis uoluit etiā in pugna contra Indos ,
cum quib. pariter bellum gerebat , uti : & potentib. ut do-
mum sibi redire liceret , atq; ut præsidium ab Araxis flumi-
nis ponte deduceretur , uim etiā minatus est . Turcis enim
domum redeuntib. Araxes fluuius , qui Persarum regni fi-
nis est , triajciendus erat , & unico tātum ponte transiri po-
terat : pons aut ille ab utroq; latere , turrib. excitatis , ac præ-
sidijs impositis munitus erat . Turcæ maiora pericula ue-
ritati , ab eo defecerunt , & in Carbonitidem solitudinē (neq;
enim , quū non plus quam tria millia essent , cum tam mul-
tis prælio congregdi audebant) se subtraxerunt , indeq; cre-
bris excursionib. Sarracenorū agros populabantur . quod
iniquissimè ferēs Muchumetus , ad triginta hominū mil-
lia contra eos mittit , decem nobilissimos noteq; fortitudi-
nis ac prudentiæ tribunos exercitui præficiens . Hi ad bel-
lum profecti , intrare in desertum , ob aque alimētorum-
que inopiam , noluerunt : sed proximè aditum solitudinis
funt metati . Turcarum dux de aduentu Persarū certior
factus , re cum suis communicata , Sarracenos & Persas re-
pentē adoriri statuit : biduoq; magnis confessis itineribus ,
tertia nocte eos securè in tentorijs agentes , nihilq; suspi-
cantes inuadit , atq; illicò profligat : ibi curribus , equis , pe-
cuniaq; plurima potitus , non iam ut fugitiuus latrocinia
exercere , sed palam exinde in aperto castra habere : ad
quem undique confluabant , qui ob maleficia supplicium
metuebant , serui , atque alij rapto uiuere gaudentes , adeò
ut breui tempore eius copiæ ad quinquaginta millia usq;

creuerint. At Muchumetus ob cladem acceptam iratus, decem illos duces luminibus orbat: & qui euaserant milites, eos se muliebri indutos uestitu, deuictis hostibus in triumpho ducturum minatur, ipse se ad bellum accingit. qui antea uiicti à Turcis fuerant, minis perceptis ad Tangrolipen transeunt: is tanta accessione auctus, cum omnibus suis copijs in Muchumetum it, ut collatis signis iusto prælio rem decernat. Et Muchumetus armatis Saracenis, Persis, Arabibus & Cabiris, circiter quingentorum millium exercitu coacto, ac cētum turrigeris elephantis,¹⁰ hosti apud locum cui Aspacham nomen est, occurrit. ibi atroci conserta pugna, multisq; utrinq; cadentibus, ipse etiam Muchumetus, dum hinc inde incautius obequitat, suosq; uerbis ad pugnā accedit, equo collapso, ceruices frangit, ac moritur: eoq; mortuo exercitus cū Turcis conspirat, ac omnium uoluntate Tangrolipix Persarum rex declaratur. qui statim suæ genti aditum in Persidem aperit: quorum mox ingens multitudo se eò contulit, oppres-²⁰ sisq; Persis ac Sarracenis, Persidem occupârunt. Tangrolipen Sultanum, id est summum Imperatorem, siue regum regem appellant: is omnes magistratus, omnesq; dignitates à Persis in suos transtulit: & inter eos indigenis prorsus conculcatis, uniuersam diuisit Persidem. Aegypti autem princeps Daber, qui fœdus cum Romanis habebat, eo uiolato Hierosolymitanum templum, in quo Christi Seruatoris sepulchrum est, & sacra loca omnia diruit. nam sub illius imperio tunc erat Hierosolyma. Et paulo post classem contra Cycladas insulas misit: quam Sami dux, duodecim nauibus una cum uictoribus captis, reliquis dissipatis, deuicit. Deinde Romano Argyropylo³⁰ imperante, Arabes, urbes quas Nicephorus & Ioannes Zimisca in Syria cæperant, præsidijs cæsis occupârunt. & Chalæpi princeps perpetuis excursionibus, populatio-
nibusque ipsam Antiochiam, aliasque finitimas Syriæ gentes Romano subiectas imperio infestabat: à quo & dux Antiochenus, Constantino adhuc superflite turpiter uiictus, plerisque suorum amissis uix effugerat. cui Ro-

manus

manus successore dato, ipse quoque ad bellum iuit. Cui cum Chalepitē legati dona ferentes, & ueniam petentes, seq̄; eius imperio rursum subjcere uolentes, in itinere occurserent: quamuis multi ex ducibus eum ad pacem hortarentur, tamen se facile Sarracenos debellaturum, & magnam sibi gloriam paraturum sperās, in Syriam progressi uoluit. cumq; prope Chalepum castra communis set, Arabes, homines audaces atq; expediti, in celeribus equis nudi, insidijs undiq; collocatis, si qui pabulatum aut aquatum exibant, eos impetu factō cædebant, aut capiebant: quo fiebat, ut & milites & equi præ siti deficeret. deinde incursionib. illis magis assuefacti, & Romanos ignauie accusantes, subito ex montibus decurrere, & clamore sublato speciem multitudinis ingerentes, omnem exercitum territum in fugam uerterunt. atque ipse Imperator à prætorianis militibus præ metu desertus, actimore penè exanimis, nisi quidam eū in equū sublatum ad fugam cohortatus esset, captus fuisset. Sarraceni uero fictā fugam esse suspiciati, fugientes non sunt persequuti: sed castra ingressi, paucis illustribus uiris captis, direptoq; Imperatoris tentorio, uariarū opum & regiæ magnificentiæ pleno, cæterisq; impedimentis in equos impositis, recesserunt, Mesopotamiam incursionibus infestantes. & Aegyptia classis Illyrici oram populabatur: cum qua cōgressa Græca, multas illorum naues incendit: & qui è pugna euaserunt, in mari Siculo tempestate perierunt. Ex Africa quoque circiter mille naues egressæ, multas insulas & loca maritima populabantur. Sed Romanæ triremes partem quandam earum adeptæ, multos sustulerunt, & quingentos captiuos ad Imperatorem miserunt. Et Georgius Maniaces, urbium quæ ad Euphratem fluuium sunt, prætor, Samosata degens, Edessa expugnata, epistolam Seruatoris nostri I E S V C H R I S T I manu scriptam, ibi inuenitam, Imperatori misit. quam urbem post Michaele Paphlagone imperante Arabes obsederunt: & recuperassent, ni Antiochiæ dux Constantinus, Imperatoris frater, obfessis operi tulisset. Verūm Aegypti principe mortuo, uxor eius, que

Christiana erat, unà cum filio triginta annorum inducias cum Romanis pepigit, & templum aliaq; sacra loca Hierosolymis instaurari curauit. Cumq; duo fratres Sarraceni Siliciæ imperantes, inter se dissiderent, eorumq; alter Imperatoris opem implorasset, Georgius Maniaces patricius auxilio illi missus est: qui antequam in Siliciam uenisset, illi inter se reconciliati, & Maniacem insulæ aditu prohibere conati, auxilia Carthagine euocârunt. Sed pugna cōmissa Romanus exercitus uicit: magnaq; cæde Saracenorum edita, primò redēcim urbes uastauit: deinde 10 paulatim progrediens, totam Siliciam Romano Imperio restituit. At in Oriente parum absuit, quin Edessa ab Sarracenis dolo caperetur. Nam duodecim illorum principes, quingentos camelos Edessam adduxeré, binas cistellas gestantes, quæ totidem armatos claudebant, simulantes se Imperatori munera ferre: qui si intromissi essent, in animo habebant, noctu eductis armatis urbem capere. Sed quum quidam Armenus mendicus, Arabicæ lingue peritus, apud Arabes foris diuersitantes mendi caret, audiuit quendam è cista perconstantem ubi essent? 20 & urbem ingressus, infidias prætori aperuit. Is Arabum principes in urbe conuinantes reliquit: & cum suis egreditus, apertis cistis, armatos omnes interfecit: ac in urbem regressus, duces quoque trucidauit, uno tantum dimisso, cui ambas manus, nasum & aures abscidit, ut cladem illam nunciaret. Ab alia parte Cairoani Africæ Calyfa suarum copiarum interitu cognito, ipse cum maiore exercitu in Siciliam proficiscitur. Maniaces uerò castris contra eum positis, classis præfecto mandat, ut o-ram maritimam diligenter tueatur, ne Carthaginensis 30 uiectus effugere queat. deinde prælium committit: quo tot Sarraceni perièrē, ut numerari nullo modo possent. Sed illorum princeps pugna elapsus, consensa celoce domum redijt. Tangrolipix uerò, iam, ut suprà ostendimus, Persarum rex, regni sui rebus præclarè constitutis, factaq; in Pissassinum Babylonis ducem expeditione, pluribus eum prælijs uicit, atq; interfecit: & sic Babylonij subactis,

Cutlu-

Cutlumū fratri filium cū exercitu cōtra Carbesum Ara-
bię regem misit: à quo superatus Cutlumus, per legatos à
Stephano patricio Mediæ, quę hodie Baas Prachan uoca-
tur, præfecto per fines ipsius itineris faciendi facultatē pe-
tijt. quod nō modò nō impetrauit, uerū etiā Stephanus
armatus illi occurrit: qui multis suorū amissis, uictus & ca-
ptus est. Cutlumus aut̄ ad Tangrolipicen reuersus, Medi-
cum bellum referens, eius religionis fertilitatem celebrat,
eam expugnatu facilem esse afferens: sed Tangrolipix illi
10 ob cladem acceptam iratus, ipse contra Arabes proficisci-
tur. Cutlumus metu cum suis aufugit: & Pasare Chō-
rasniorum urbe occupata, à Sultano deficit. Verū
Sultanus eo ad tempus omisso, cum omnibus suis copijs
contra Arabes proficiscitur: à quibus ipse quoque profli-
gatus, domum rediens, maxima cum parte exercitus e-
um obsidet: cui Cutlumus loci munitione fretus, diu ob-
sttit. Et tamen interea Tangrolipix Asanem, alterum ne-
potem, cognomine Surdum cū XX armatorum millib.
in Mediam mittit. is impetu in prouinciam facto, & præ-
20 lio cum Romanis commisso, cum toto exercitu paucissi-
mis exceptis cadit. Quo Sultanus cognito, ut iacturam
illam resarciret, Alimum Abramium cum centum arma-
torum millib. in eam prouinciam misit. Cuius præfectus
auxilijs ab Imperatore petitis, Liparitam partis Iberiæ dy-
nastam expeccabat: nec prius sibi cum Turcis dimican-
dum censebat, quām Iberū auxiliares copiæ aduentassent.
quāmobrem Romanis intra munitiones se continentib.
Alimus negata pugnandi copia, Arzeni uicū nullo muro
circundatum, quē innumeri ditissimiq; mercatores inco-
30 lebant, se primo impetu capturū ratus, inuasit: sed cum in-
colæ aditus trabibus obstruxissent, tela in hostes ex te-
ctis coniçientes, multos sustulerunt. Alimus eo per sex
dies oppugnato, cum Arrenos fortissimè se defendere,
nec obsideri facilè posse cerneret, ignem tectis iniecit:
quo undiq; sœuiente, & incolis in fugam uersis, Turcæ ui-
co potiti, multū auri & aliarū opum quas flamma nō ab-
sumperat, inuenerunt. Inde cum Liparites Iberiæ copias

iam adduxisset, contra Romanum exercitum properârunt: prælioq; sub uesperam commisso, Turcæ fusi fugatiq; sunt, Romanis eos in multam noctem persequentib. Qua tamē in pugna Liparites, qui alterū exercitus cornu ducebat, captus fuit, & ad Sultanum perductus. cuius redimendi gratia Imperator magnam pecuniam & munera Sultano misit, fœdus cum eo petens. Sed Sultanus, omni pecunia & muneribus remissis, Liparitem gratis restituit: hortatus, ne in posterum arma contra Turcas sumeret. quin ipse etiam legatum ad Imperatorem misit, summae dignitatis uirum, Seriphem appellatum. quæ dignitas, ea apud illos est, ut Calyfa mortuo, Seriphes succedit. Nam Turcæ statim Muamedis sectam amplexi, Calyas (etsi regna illis, profanamq; potestatem in suo imperio ademissa) ut sacerdotes & pontifices in summo honore habuerunt. Is igitur Byzantium ingressus, cum superbè ab Imperatore, ut tributum Sultanu penderet, petitisset, re infecta est dimissus: qua re indignatus Sultanus, ipse Romanos adortus est. cumque Comium Iberiæ urbem, propterea quod incolæ se & res necessarias castellis (qualia tunc in Iberia multa erant) & locis munitissimis maturè incluserant, nulla re memorabili gesta progressus esset, Romanas copias Cæsareæ colligi audiens, in Medium est regressus: ubi cū omnia nō secus atq; alibi muris defendi uideret, animū ad oppugnationē conuertit. ac pri mò omniū Mātzichierte urbem in planicie sitā, ac triplici muro cinctā, multisq; intus fontib. irriguam, in quā præterea magnā conmeatus copiam oppidani importarant, aggreditur: & uallo prope mœnia posito, omnis generis machinis per triginta continuos dies oppugnat: tandemq; re infecta, & multis ex suis amissis abit, Abramiū deinceps nepotē persequens, quem Cutlumo consobrino suo coniunctū, prælio apud Pasarim urbem uiectum necauit. Cutlumus uero, cum sex millib. & Melecho Abramij filio fui giens, per legatos ab Imperatore Cōstantino Duca se in fidem societatemq; recipi postulauit, responsum in Persarmenia ad Charse urbem expectans: quem inseguutus Sulta-

Sultanus cum copijs in Iberiam cōtendit, Caithlumus uerò in Felicem Arabiam confugit. Sultanus in Iberia obuia quęq; populatur & uastat: sed Michaelem cum copijs contra se uenire sentiens, & turpe sibi cum Imperatoris ministerio cōgredi existimans, in suos fines se recepit: quidam uerò ex eius ducibus, Samuchus nomine, obscuris parentib. ortus, uerùm bello egregius, cum tribus millib. remanens, atq; hinc inde per plana maioris Armeniæ loca uagatus, repentinis ac crebris incursionibus fines Romani Imperij infestabat. Inde Romano Diogene Imperante, Sultanus rursus cum maximis copijs Romani iimperij fines est ingressus. Verùm ipso Imperatore cū exercitu contrā illum expeditionē suscipiente, retrocessit: & exercitu in duas partes distributo, alterā in australem Asiam, alteram uerò in Aquilonarē misit: qui obuia quęq; populati, & Neocæsarea subita incursione uastata, præda onusti inde recedebant. Sed Imperator hoc audito, expeditioribus militibus assumptis, per loca inuia & montosa, ut hostes anteuerteret, iter faciens, eos repente adortus, ita terruit, ut statim arrepta fuga, & prædam & impedimenta reliquerint. nec tamen, quia Romani itinere fatigati, longius eos persequi non potuerunt, magna illorū strages est edita: sed multi captiui liberati. Inde Syrię iter ingressus phalange una Melitenam missa, Chalepo magnam & hominum & animantium prædam abduxit, ac Hierapolim Syriæ ditione cœpit. Deinde, quum Turcæ Romanarum copiarum partem superassent, Imperator, qui Hierapoli erat, illo nuncio accepto, ad opeim uictis ferendam accurrit. Chalepi uerò præfectus, Romanorum clade audita, cuin suis ad Turcas descivit. cumque hostes Romana castra corona cinxissent, Imperator prælio eis non denunciatio eduxit exercitum: & nullo tubarum sonitu alio ue manifesto signo dato, hostes fudit. Deinde Hierapoli arcem condidit: & alijs multis oppidis captis, Alexandriam Ciliciæ urbem peruenit: exercituque in hyberna, ubi nulla commeatus in opia premeretur, ducto, Byzantium redijt. Sub ueris aut initium Imperator altera expeditione suscep-

pta,

pta, quum Cæfaream uenisset, & magnam Turcarum copiam eam prouinciam incur sare cognouisset, illis aut cæsis, aut captis, ad Eufratem contendit: ibiq; parte una exercitus Philareto duce relicta, ipse ad Septentrionem declinauit. Turcæ autem Philareti militibus territis, omnibus eorum impedimentis potiuntur. & in Cappadociam progressi, omnibus uastatis Iconium petunt, urbem tunc felicissimam, nobilissimamq;. quo Imperator Sebastiæ cognito, eodem contendit: uerùm ubi illa urbe euersa, hostes suo aduentu cogniti discelsisse audiuit, Cathagurio.¹⁰ Antiochiæ duci Romanarum legionum partē tradidit, eiq; mandauit, ut ad Mopsihestiam ueniret, & Turcas iliac transituros aggrederetur. qui quū in Tharsis planiciem uenissent, ab Armenis omni ferè præda spoliati sunt: auditisq; Romanorum ad Mopsihestiam insidijs, noctu diffugerunt. Deinde uere ineunte, Turcæ iterum Romanas prouincias infestantes, à Michaele Comneno, Imperatoris legato, uiecti sunt: & paulo pòst ipse ab Imperatore cum minoribus copijs, ob inuidiam in Syriam missus, à Turcis uiectus & captus fuit. Deinde ipse met Imperator, in Oriëntales prouincias cum exercitu progressus, quū ad Cripegam castra haberet, prælio cum hostibus congressus, & Scythis quos in castris habebat, ad Turcas deficientibus fortissimè pugnans, captus fuit: & ad Sultanum, qui Axā uocabatur (iam enim Trangolipix mortuus erat) perductus: quem Axā, ut erat iustissimus, & summa animi moderatione prædictus, ubi Imperatorem esse certò cognouit, (neq; enim prius credidit, quām & legati quos ad eū misserat, eum esse testati sunt: & Græci duces, quos in uinculis habebat, coram illo ducti, ad pedes eius prostrati cecide,²⁰ runt) prius tamē de more, ut uiectum ante pedes suos prostratum, erexit: atque ut fratrem amplexus est, & mox huiusmodi uerbis solatus. Noli mœrere Imperator: hæc enim est rerum humanarum uicissitudo, ut belli fortuna modò hos, modò illos deprimat, alios uerò extollat: tu multa bella præclarè gessisti, semper uirtus & fortitudo tua celebrabitur, modò te in aduersis non minus fortem præbeas,

præbeas, quām in secundis prudentem . quamuis à me nō ut captiuus, sed ut Imperator tractaberis: statimq; ei tabernaculum ornatissimum attribuit, & ministros ac reliqua omnia quæ Imperatorem decent . & mensæ adhibitum iuxta se collocat, captiuis quotquot peteret redditis: & sic per dies aliquot cū eo uersatus, & colloquutus, pace perpetua sancita , promissaq; affinitate inter liberos ipsorum contrahenda, Diogenem cum magno comitatu & honore dimisit, barbarica etiam ueste ornatum . Sed pōst eo
10 Byzantij à suis trucidato , Axan Sultanus id audiens, magno dolore affectus, copias suas in Romanorum prouincias, non iam prædatum, sed ad eas subigendas misit. Contra quem Michael Ducas Imperator Isaacium Comnenū cum exercitu misit: qui à Turcis uictus & captus, magna se pecunia redemit. Pōst Cutlumo , quem suprà ostendimus Tangrolipicis nepotem fuisse , arma cōtra Axanem nouum Sultanum , ut ipse imperium occuparet, parante: Babylonius Calyfa, cuius etiā apud Turcas, ut qui à Mua-mede originem trahere putaretur, summa erat autoritas,
20 nihil sc̄tæ suæ perniciosius esse animaduertens , quām si eadem bella ciuilia, quæ Sarracenicū, ipsorumq; Calyfarū imperium euerterant, iam inter nouos Sarracenos, hoc est Turcas quoq; orirentur : quamuis loco suo excedere, & in publico uersari non soleret, ad eos abit, qui de regno contendebant: eisq; persuadet, ut omisso bello Axan , quē Cassiarum quidam uocant, principatum suum integrum teneat: cognatoq; omni ope præstò sit, ut Romanis prouincijs subiectis imperet. qui breui Media & totius Orientis locis subiectis, insulas quoque inuasit , Zacham quendam obscuro genere natum mittēs: qui Chio insula cum paucis nauibus repente occupata, classeq; ibi comparata, Lesbum, Samum, Rhodum, Cretam & Cyprum cœpit: quæ tamen paulo pōst rursus in Imperij Romanī potestatem redierunt. Damascum uero, & reliqua Syriae loca ei propinqua , Axan Persarum Sultanus cuidam nepoti suo Ducat appellato tradiderat: ut quemadmodum ille alter cum Romanis bella gerebat, sic iste cum Aegyptijs fa-
q ceret.

ceret. nam Aegyptius Calyfa, Laodiceam Syriæ usque, omnia possidebat : & Alapiam siue Calepum Samucho illi , cuius suprà mentionem fecimus , tradidit sed ita, ut hi beneficiarij essent sui : Cutlumus uerò , Sultanus & ipse . Sed Samuchi filius Sangninus, multis bellis gestis, Damasci quoque regnum occupauit. eiq; successit filius Norandinus, qui multa cum Ierosolymitanis regibus bella gescit . Sed cum Christiani qui Ierosolymis, & in alijs locis, sub Turcarum imperio degebant , durius à Turcis tractarentur, quām antè Sarracenis, concilio in Gallia apud Claromontem habito , Vrbanus pont. Christianis Orientis per Petrum quendam Gallum opem implorantibus , omnes gentes ad pium bellum cohortatus , effecit ut expeditio in Syriam susciperetur . Itaque profecti sunt , anno Salutis nostræ M X C diuersis itineribus Gottifredus , Eustatius , & Balduinus Bolliones , Raimundus & Robertus , Flandriæ comites , Vgo cognomento Magnus , Philippi Gallorum regis frater , Stephanus Valesius Carnutum comes , Podiensis antistes , & Peter Eremita, huius expeditionis autor, cum circiter quin gentis armatorum millibus , qui multis cruentis prælijs cum Turcis & Sarracenis atque Aegyptijs commissis , alij Nicæam Bithyniæ urbem , alij Antiochiam ad Oron tem fluuium , alij Ierosolymitanam urbem , alij alias magno labore, multoque sanguine cæperunt , ibi q; regnum Christianum constituerunt : Constantinopolitano Imperatore interea fœdus cum altero Turcarum Sultano , qui Byzantio proximis prouincijs imperabat , habente. nam suprà ostendimus, prouincias illas Cutlumo attributas fuisse, quibus ipsius hæredes sunt potiti , cum Tangrolipis posteri Persis & Babylonijs imperarent , & in Aegypto adhuc erant Sarracenorum reliquiae . Sed Cutlumo atque eius filio , qui Occidentis Sultani erant , Cappadociamq; obtinebant, defunctis, Tanismanius successerat . Ex his Christianis ducibus , ubi in Asiam traiecerunt , Turcæ Raimundum , Nicenum agrum inexplorato ingressum , insidijs exceptum , multa strage fuderunt: & in

& in Exorgum oppidum desertum compulerunt : ubi aliquandiu obsidione fatigatus , ad hostes cum paucis transiit reliqui, qui se dedere noluerunt , post diuturnam obsidionem , partim bello in excursionib. absumenti sunt, partim fame perierunt : & qui uiui in hostium potestatem uenerant, ad unum omnes cæsi sunt . Cæteri Nicomediam primùm petierunt , inde ad Nicæam Bithyniæ urbem bellum transtulerunt . quam dum fortiter oppugnant, Tanismanius siue Solymanus cum sexaginta Turcarum millibus, in eam partem castrorum, in qua Podiensis antistes suos milites habebat, impetum fecit : qui à Gallos facilè repulsi sunt , tandemque Nicæa capta est : deinde cum Solymano quartis ab Nicæa castris ferocissime pugnatum. collegerat enim ille totius Orientis vires, auxilijs undiq; accersitis. Inde Iconium, ad Taurum montem situm, ipsius Solymani sedes, hodie Cogni dicta , & Phrygiæ, quæ hodie Caramania uocatur , principum regia, atque Heraclia capta . Post bipartito exercitu Balduinus in Ciliciam flexit, Tharsumque, Edessam & Manussam cœpit : maiores copiæ Armeniam receptam , Palmuro Armeno tradidere . Inde Cappadociam, Cæsaream , Sorrorgia & Suram, in angustijs Tauri montis capiunt. Post Taurum transgressis, obtulerunt se in planicie Turcæ : sed facilè fusi à Latinis, fugatiq; sunt. & Antiochiam Phœniciaë clarissimam munitissimamque urbem, quam Orontes fluuius interluit (nam alia est in Pamphilia Seleuciæ uicina) rectâ perrectum : eaq; ditione potiti sunt, Turcis prius acie uictis. quo in prælio centum Turcarum millia ceciderunt , & quindecim camelorum millia capti sunt . Interea Veneti ducentarum nauium classe ad Latinos iuuandos missa , Smyrnam in Ioniæ ora occupârunt: & Latini Antiochia capta , Rugiam quoq; & Albariam expugnârunt, ibique hyemârunt. Vere autem in eunte inde digressi , Tortosam primò & Tripolim oppugnant . Tripolitanus rex in fidem receptus , Tortosa à suis egregiè defensa. Quare castris inde motis, Zebulo, Zabari , & Brai flumine trajecto , per insidiosâ loca iter q 2 facientes,

facientes, Berytum maritimam urbem peruenere, & Beryti Sagittam, unde decimo die Cæsaream uentū est, pōst Ramam, ac tandem Ierosolymis castra admouerunt: eaq;
cruentissimo marte & summo labore capta fuit, circa an-
num Salutis nostræ MC, & Gottifredus rex salutatus. At
Turçœ cum Aegyptijs, ingentibus collectis copijs mox bel-
lum instaurant: quib. obuiam progressus Gottifredus, eos
ad Ascalonē castra habētes, centū, uel (ut alij uolunt) quin
quaginta millib. cæsis, fudit. Sed antequam Ierosolyma ca-
peretur, Veneta classis Lycię, Pamphylię, Cilicię, & Syrię
oram præteruecta, lopp̄sem portū iam à Gallis captum,
ut Christianos commeatu adiuuaret, tenuit: indeq; Asca-
lonē, Porphyriam, urbem Ptolemaidi propinquā, & Ty-
beriadem, maritimas urbes capiūt. Et Ierosolymis Gotti-
fredo mortuo, Balduinus eius frater rex creatur, cæteris
principib. domū reuersis. hic Ptolemaidem, Venetis, Ge-
nuensib. & Boemundo Antiochiæ rege adiuuantibus, &
Sydonē atq; Berytum Phœniciæ urbes cepit. Deinde Boe-
mūdo mortuo, & Tācredo eius fratre Antiochię regnan-
te, cū Turcæ atq; Aegypti j rursus Ierosolymitanos fines 20
ingressi essent, Balduinus Tancredo in auxiliū accersito,
cum eis pugnauit: & uictus, magna fuorum cede Ierosoly-
mam se recepit, Tancredus uero Antiochiam. & Turcæ
montem Sinai occuparunt. Et paulo pōst Balduino defun-
cto, Balduinus alter cognomēto Burgenſis, rex creatus fu-
it. Deinde Alexio Byzantij imperante, quia Balduinus se-
cundus auxilia à Latinis petebat, altera expeditio in Syriā
facta est: profecti sunt Vuilhelmus Aquitaniæ dux, Vgo
Magnus, Philippi Francorum regis frater, Stephanus Car-
nutum comes, qui ex priore expeditione domum reuer- 30
sus erat, & Stephanus Burgundiæ comes, atq; Tolosas, &
Veneti quoq; classem maximam miserunt. Latini proce-
res cum suis copijs multis laboribus & cladibus afficti,
ac penē dissipati, tandem Ierosolymam peruenere. Sed
Balduinus improuidè fine illis cum Turcis congressus, e-
xercitu suo fuso, ipse captus, & Carras perductus, tādem q;
pecunia data liberatus fuit. At Veneta classis, septingenta-
rum

rum Aegyptij Calyfæ nauium classe, quæ Ioppem oppugnabat, fracta, Tyrum cœpit: quam urbem cum oppugnaret, columba uisa est castra superuolare (nam copiarum partem in littus Veneti exposuerat) Damasceni regis literas ferens, quibus obfessis significabat, se breui cum ingenib; copijs illis auxilio fore. quæ à militib; uisa, & omnib; maximum clamorem ac strepitum edentib; cecidit: & duces Veneti lectis literis, ad illarum exemplum alias finixerunt, quæ obfessis omnem auxilij spem adimerent: unde pōst traditio secuta est. His temporib; uiguit inter Sarracenos uel Turcas, genus quoddam hominū, & secta, Assassini appellata: qui latronū more quoescunq; uellent interficientes, magnis Christianos in Syria cladib; afficiebant. ex quo pōst factum est, ut apud Italos latrones omnes Assassini uocarētur. Cuius sectæ origo sic tradit: Aloadinus quidam secta Sarracenus, regnū in ea Persidis parte quæ Indo flumini proxima est, haud procul ab Arrianē prouinciæ finib; sub Caucaso obtinēs (quæ regio hodie Mulehet uocatur, in qua olim fuerunt Asaceni, quorum mentionē facit Arrianus in Alexandri Magni rerum gestarum historia, eos inter Cophen & Indum fluuios collocans: quem Cophen à Iosepho in Iudaicis antiquitatib; Cuthū appella ri puto, & in hanc regionē decem illas Israelis trib. translatas fuisse.) hic Aloadinus, ut suis persuaderet, se uitæ beatæ illos participes facere posse, qui mandata sua seruassent: in amoenissima quadam ualle, inter duos altissimos montes, hortos pulcherrimos, omni arborum suaves fructus ferentium, & florum genere adornārat: quos undique splendidissimis ædificijs incluserat, quæ auro alijsque coloribus depicta, & preciosissima supellecstile instruēta erant, & uarijs in partibus, lactis, mellis, uini, ac odoratrum aquarum fontes riuosque habebant: intus erant lepidissimæ puellæ, cantu, musicis instrumentis, choreis, omnibusque blanditijs, eos qui ibi essent oblectantes: & insuper ministræ erant, quæ semper intra tecta latentes, omnia tum ad uictum, tum ad uoluptatem necessaria hospitibus parabant: locus autem totus foris &

natura & arte munitissimus erat. Hoc igitur uoluptatum omnium horto facto, Aloadinus montanis illis hominibus se Muamedis socium prædicabat: sibi que paradiſi ac beatæ uitæ impertiendæ potestatem datam. & ex illis melioris ad arma indolis, adolescentes duodecimum & decimumquartum ætatis annum trangressos deligebat, & in aula sua educabat: eosq;, quò libentius mandata sua exequerentur, aliqua potionē altissimo consopitos somno, in eum locum transferrebat, ubi eo somno excitati, omnibus uoluptatibus per duos uel tres dies 10 fruebantur, & post iterum eadem potionē somno obruti efferebantur. & sic siebat, ut illi post nulla pericula, ut eius mandata perficere possent, subterfugerent: ac quoscunque ille uellet, uel in remotissimis partibus degentes, insidijs trucidarent. horum autem ad sexaginta millia habebat. Vnde potentia eius ac successorum, qui Sexmontij uocabantur, ita creuit, ut eundem ordinem etiam in Syria instituerit, & præfectum Damasci habuerit. erat enim quasi quidam equestris ordo, cuius summus magister Sexmontius uocabatur: & præfectos alios uarijs in 20 locis militiae suæ habebat. Arx uero illa, in qua horti erant, Tigadum appellabatur. Hi milites cædibus & latrocinijs totam Asiam Christianis infestam reddebant. Sed eos post Tartari, arce septem annorum obsidione capta, penitus deleuerunt. Hæc est illorum, quos aliqui Eſſenos, & alij Arsacidas errore uocarunt, historia: ut nos apud fide dignos autores inuenimus. Tanismanio defuncto, imperium Turicum Occidentale diuidi cœptum est. nam Muchumetus quidam Tanismanio successit, cui cum Masuto Iconij præside inimicitiae intercedebant. Sed 30 cum Ioannes Comnenus Imperator fœdere cum Masuto inito, Muchumetum coniunctis viribus oppugnaret: tandem Masutus cū Muchumeto reconciliatus, ab Imperatore defecit. & nihilominus Imperator Castamonē & Gangu, nobilissimas Ponti urbes, quas Turcae occupauerant, expugnauit: quas Muchumetus paulo post recuperauit, & Iberiam quoq; ac nonnulla Mesopotamię loca subegit. & Masutus

Masutus Iconio cum alijs Syrię locis est potitus. qui etiam in Thraciā impressione facta, ab Manuele Comnenō fugatus fuit. Cū uero Imperator hac uictoria elatus Iconiū oppugnaret, Turcæ insidijs collocatis exercitum eius fuderūt, adeò ut ipse egrè effugerit. Post Christianis qui Iero solymam obtinebant, laborantibus, facta est tertia expeditio, cuius dux fuit Conradus, dux Franconiæ, qui illis cum magno Germanorū atque Italorum & Gallorum exercitu opem tulit: & cum Turcis, cum quibus & Græci 10 conspirauerant, ad Mæandrum fluum cruento prælio congressi, ingentem Turcarum stragem ediderunt. Masuto autem mortuo, regnum eius tres filij distribuerunt, bella deinde inter se gerentes, Iagupafanes & Iconij Sultanus: tandemq; Iagupafanes uicit, & Sultanus ad Imperatorem confugit, qui eum Byzantium in triumphum duxit. Neque hic prætereundus est Sarracenus Icarus: qui cum in Sultani comitatu esset, præstigiator habitus, circensibus ludis sponte Byzantini Hippodromi turri consensa, sub qua carceres erant, unde equi emittebantur: 20 supra uero quatuor illi equi aurati, qui nunc Venetijs supra Marciam ædem sunt, sibi inuicem obuersi, alacritatis ad cursum pleni stabant, se stadium transuolaturum iactabat. cumque diu, ampla & promissa ueste candida indutus, quæ uinculis in orbem succincta, sinuosa efficiebatur, manus alarum instar ad uolatum, ut plus uenti colligeret, librans, tandem se uento committens, prostratus, ossibus omnibus confractis expirauit. Manuel uero, ut à Sultano liberalis & potens haberetur, eum ingenti pecunia, & preciosissimis rebus donatum dimisit: 30 ea tamen lege, ut ipse ei Sebastiam cum suburbano agro redderet. sed ille cum pecunia Iconium reuersus, Sebastia uastata, & uicinia eius subacta, summam rerum ad se transtulit: & Dadunę altero fratre electo, Cæsareāq; occupata, Iagupafanem quoq; euerte nitebatur. Dadunes uero Amasiām possessore uacuā occupauit: sed paulo post à Clizastlane Sultano, qui Cappadociā occupauerat, pulsus est. Clizastlanes uero Imperatorem patrem appellans, interea

interea semper fines eius populabatur. Quamobrem non
multo pòst nouo inter eos accenso odio, quia & uicissim
Sultanus Imperatorè leuitatis in promissis non seruandis
accusabat: Imperator bellum summis uiribus gesturus, &
Turcicę gentis euersionem animo concipiens, ueteranos
milites colligit, nouas legiones conscribit, externa auxilia
undique accersit, cum Balduino Ierosolymarum rege fœ
dus init: Scythes Istri accolas sibi adiungit. ingentiq; exer
citu comparato, ac omnibus ritè peractis, & diuina ope
implorata, copias educit: ac per Phrygiam & Laodiceam,¹⁰
Chonas, Archangeli fanum, Lampim & Celēnas, ubi Mæ
andri amnis fontes sunt, in quem Marfyas influit, Choma
iter faciens, Myriocephalum, castellum uetustum & de
sertum, pessimo omne transit. cuius nomen res subsecuta
est. nam haud procul inde, multa Gr̄ecorum capitum mil
lia perierunt. Semper tamen cautè instructaq; acie ince
dens, castra ubi metabatur communiens, sed tardius pro
pter iumenta, quæ machinas trahebat, incedere cogebatur:
& Turcæ sæpe se ostendentes, leuibus prælijs eos lacesse
bant: omniaq; infesta reddebant, gramen demetentes, &²⁰
commeatum intercipientes, aquasq; inficientes. At Sulta
nus magnis auxilijs ex Perside & Mesopotamia, alijsq; e
iusdem gentis regibus accersitis, per legatos ab Imperato
re pacem petijt: quam omnes prouectioris ætatis ac Tur
cicis bellis exercitati duces amplectēdam suadebant, pro
pterea quòd loca munita & opportuna omnia ab hostib.
essent occupata. Verùm ille neglectis seniorum consilijs,
& iuniorib. (qui forma tantum, gemmisq; & auro, non
autem triumphis & rerum peritia cōspicui erant) cupidè
audit, legatos uoti impotes dimisit. Cumq; Sultanus ite
rum pacem petijset, eiq; Imperator iactabundè dixisset,³⁰
Se Iconij esponsurum: Sultanus in angustijs Tauri mon
tis, quę Clisura Zybritzæ appellantur, per quas Romano
exercitui Myriocephalo castra mouenti, iter erat facien
dum, suas phalanges, ut impetum in eos prætereuntes fa
cerēt, abdit. Est ante Clisura oblonga conuallis, quam La
tino nomine Clusium optimè nominare possumus, uer
ticibus

ticibus montium assurgens, quæ ad Septentrionem paulò declivior inter colles in patentiores ualles protenditur: ab altera uero parte abruptis arduisque rupibus includitur. quam uia ingressurus Manuel, non secus ac si per patentes campos iter esset faciendum, nihil prospexit eorum quæ periti imperatores prouidere solent: utpote impedimenta & currus, quibus machinæ trahuntur: & imbellem multitudinem, ne pugnantibus, si id sors ferat, impedimento sint, extra aciem remouere, expedita cohorte hostes ex angustijs depellere, atq; exercitui uiam aperire, & omnia antè per exploratores cognoscere. quorum ille, et si antè barbaros iuga occupasse audiuisset, nihil fecit: sed acie sic instructa, angustias est ingressus. Primum agmen, in quo erant Angeli Constantini duo filij, Ioannes & Andronicus, nec non Macroduca Constantinus, atq; Lapardas Andronicus, cum suis cohortibus, luna-ta acie incedebat: dextru cornu Balduinus Ierosolymorum rex, sinistrum Mārozomes Theodorus ducebat: hos sequebantur lixæ, calones, currus, & alia impedimenta. In Imperator ipse cum delecta manu, extremum agmen clausit Andronicus Contostephanus. Sed ubi ad angustias uentum est, cum acies explicari non posset, Angeli, Macro ducæ & Lapardæ cohortes, quæ in sinistro cornu erant, cu neo facto, barbaros è collibus, unde pugnabant, in montes repulerunt, & sic in columnes transfiérunt. Sed reliquæ legiones hos minimè strenuè consecutæ sunt: nec, ut debebant, sagittarijs in laterib. positis, Turcarum impetum represserunt, testudinem' ue egerunt: quapropter densissima Turcarum agmina, undiq; ab editis locis in humilia, & è tumulis in planiciem magna ui irruerunt: & audacius in Romanos inuecta, aciem perruperunt: ac Balduini cornu in fugâ uerso, multos uulnerarunt, trucidaruntq;. quod uidens Balduinus, ut suis laborantibus opem ferret, cum delecta equitum manu in medios hostes inuehitur: à quibus circumuentus & ipse occiditur, & eius milites omnes fortissimè pugnantes cadunt. quo successu elati Turcæ, omnes uias Romanis intercludunt. qui ut in angustijs in- ter se

ter se impliciti, & alij alios impedientes, tantum aberat ut hostibus nocere possent, ut suos quoque impedirent, & hostib. maestandos obtruderent: nec ab extre^mo agmine aut ipso Imperatore iuuari aut recedere, uel in aliquod latus declinare poterant, curribus qui in medio trahabantur, tanquam uallo obiecto impedientibus. Iumenta pariter & homines Turcicis telis sternebantur, caderibus plenæ erant ualles, abscissis membris scatebant saltus, sanguinis riui pecudum simul & hominum cruentu^r permixto manabant; adeò ut huius pugnæ atrocitas nullis exprimi literis possit. & præter cætera mala, hostes caput Andronici Bacazæ, qui Imperatoris ex sorore nepos, cum exercitu ex Paphlagonia & Heraclea Pontica collecto, contra Turcas Amasenos missus fuerat, hastæ infixum ostentârunt: quibus spectaculis, & periculi magnitudine perturbatus Manuel, animo æger, & dolorem ac metum silentio dissimulans, inopsque consilij, quò se uerteret nesciebat. Verumtamen Romanæ legiones, quas præcessisse diximus, periculosis illis itineribus superatis, in colle quodam fatis opportuno castra munierunt. Turcæ uero omni contentione Imperatoris agmen debellare nitebantur, quod maxima & potentissima exercitus parte profligata, se facilè cæteros superaturos, eoq; uiecto (ut in serpentibus capite contrito, una etiam reliquas corporis partes, quæ abscissæ, singulæ per se mouebantur, moriuntur: & arce expugnata, urbs hostibus resistere non potest) reliquos paruo labore posse deri putabant. At Imperator saepius Turcas ex angustijs illis depellere, ac suis uiam aperire conatus, Turcarum qui è superiore loco pugnabant, ui subinde crescente, si. 30 bi cum alijs, siue maneret, siue progrederetur, æquè preundum existimans, suos monet, ut spe omni in Deo primùm, deinde in armis, ac dextra posita, ferro sibi salutem, aut honesta morte perpetuum decus quærant. se enim nullam aliam euadendi uiam uidere: nec Deum, si modò sancte eius auxilium implorarent, uiribusq; quas ille suppeditaret, fortiter uterentur, eos qui pro sacrosanctæ re-

Etæ religionis propagatione , ipsiusq; nominis gloria , contra impios , omnis religionis , pietatis , honestatisq; euer-
fores pugnarent , desertorum prorsus esse . quod si ta-
men eos mori contingeret , pro breui & fragili uita , ut
qui iustissimam causam haberent , duplēm consecutu-
ros: nempe sempiternam illam & beatā in cœlesti regno ,
quæ cùm omnibus uerè Christum colentibus , tum maxi-
mè ijs qui pro eius gloria sanguinem uitamq; profunde-
rent , promissa & parata à Christo Seruatore nostro est: &
10 præterea alteram , in perpetua hominū in hac uita degen-
tium memoria positam , qui semper fortitudinem , con-
stantiamq; ipsorum celebraturi essent . eos uerò qui arma
abieciissent , ut Imperatoris sui desertores ac proditores ,
& Christi beneficiorū immemores , ingratosq; , omnium
ore & sermonibus condemnandos , ac sempiternas Deo
pœnas daturos . Itaq; suo exemplo uiām sibi quisq; ferro
aperiret . Deinde cum paucis quos secum habebat , re-
stā in hostes fertur : atque ita pōst multa uulnera illata &
accepta , Turcica phalange perrupta , sic toto corpore uul-
neratus , ut scuto circiter triginta sagittæ inhærerent , &
cassidem decussam attollere non posset , elapsus est . Cum
interea cæteræ legiones passim cæderentur , seq; inuicem
conculcarent : & qui fortè has fauces superârant , nihilo
minus in altera ualle ab hostibus trucidabantur . is enim
transitus in septem profundas ualles , inter se uicinas , fin-
debatur : & initio paulo latior , rursus in angustias compli-
cabatur , quas omnes Turcæ præsidijis infederant . Præ-
terea tantus repente exortus est uentorum , arenas , qui-
bus loca illa plena sunt , impellentium nimbus , ut ambo
30 exercitus in densissimis tenebris uelut noctu summo im-
petu congressi pugnarent , & nullo discrimine obuios
quosq; , siue amici essent , siue inimici , trucidarent . eo-
demque loco Turcæ , Romani , iumenta & homines
promiscuè caderent : & uallis illa nihil aliud uideretur ,
quam commune amplissimumque horum omnium se-
pulchrum . Sed tamen plures ex Romano exercitu , quam
ex Turcico , cadebant : & præsertim ex genere clariori-
bus , &

bus, & Imperatoris cognatis: & multi etiam uiui inter cadauerum aceruos ita sepulti iacebant, ut inde se explicare non possent: nec qui eis opem ferret, singulis pro salute sua laborantibus, erat, adeò ut inter longos cruciatus tandem animam agere & ipsi cogerentur. Imperator uero sine armigero, sine satellite, & sine custode, solus sub pyri siluestris umbra vires exhaustas recipiebat: cum quidam gregarius eques, forte & ipse pugna elapsus, eius misertus, ei pro uirili ministrare studens, galeam, aliaq; arma hinc inde cadentia reposuit. Quod dum facit, Turca quidam accurrit: & nemine eum defendantे, Imperatorem freno arrepto capere uoluit. quem ille hastæ parte, quam reliquam habebat, in caput impæcta humili prostrauit: cumq; alij Turcæ accurrisserent, eum uiuum cape re uolétes, ipse arrepta eius equitis, de quo diximus, hasta: & uno ex hostibus transfixo, cum etiam eques ille stricto gladio alteri caput amputasset, illos repulit: donec alijs decem Romanis militib. accurentibus, se legionibus que præcesserant, coniungere cupiens, inde abijt. sed iter eius tum cadauerum acerui, tum Turcæ ubique occurrentes, ualde impediebat. Deinde faucib. illis ac præterfluente amne alicubi super cadauera suorū equitado ægrè superatis, aliam Romanorū manum, quæ eo uiso accurrit, cogit: ibi q; aliud prælium cœptum est, in quo Ioannem Cantacuzenum, neptis suę uirum, solum cum multis fortissimè pugnantem cadere & spoliari uidit: & Turcæ, qui illum occiderunt, Imperatorem præterire uidentes, eum conglobati, ut opimam prædam, petunt. erant autem ij inter Turcas uiri principes, & armis insignes, equis Arabicis splendidissimè ornatis insidentes. quæ impetum Imperator a nimis suorū excitatis facile repulit: & nūc Turcas, qui undiq; ut eum caperēt accurrebant, armis repellens, nunc celeritate præcurrrens, tandem in suorum castra, ab illis expectatus, & multis periculis laboribusq; exantlatis, à suis quoq; iniurijs & conuicijs affectus peruenit. ubi noctem illam metu pallentes insomnem egerunt: & manè Turcæ castra ipsa oppugnatū ibant. Sed Sultanus Manuelis calamita-

Iamitatem miseratus, missis ad eum muneribus, pacem ei dedidit, ea lege, ut Dorylēum & Sublēum oppida, quę à Turcis euerfa instaurauerat, rursus euerterentur: quę pacta Imperator non seruauit. nam Sublēum quidem euerit, Dorylēum uero nō. quamobrem Sultanus Atapacum ducem cum delectorū militum manu ire ad mare usq; omnes urbes ac prouincias uastare, neminiq; parcere: & sibi aquam marinā, remum, & arenā referre iubet. qui mandata exequēs, Phrygiam & Mæandrias urbes populatus est. quem Imperator in Mæandri fluminis transitu insidijs exceptū, ipso duce cū multis alijs cæso, oppressit. Deinde Manuele mortuo, Sultanus, qui Iconij sedem habebat, multas Phrygiæ urbes cœpit. Huic Sultano defuncto successit filius, Chaichosroes nomine: quo imperante, Fridericus Barbarussa Orientem petijt, & Turcas ad Iconiū prælio uicit: filiū Copatinū, qui patrē regno expulerat, & Iconiū cœpit. Deinde Germanus quidam heros ingenti corpore, quū inter suū sequeretur, post exercitū equum fessum trahens, à quinquaginta Turcis circuuentus, nō magis se cōmouit, aut gradum accelerauit, quām si nemo persequeretur: sed gladio unū ex illis tam facile in duas partes secauit, à capite simul cum equi sella usq; ad tergum, ut reliqui territi abstinerint. Friderico aut in flumine submerso, Germani dominum redierūt. Quo tempore grauis seditio inter Turcas est orta. Clizastlanus enim, potentissimus Iconij Sultanus moriens, quatuor filios reliquit, Masutum, Coppatinum, Rucratinum, & Chaichosroem. Masuto Amasiam, Ançiram, Dorilēum, & alias Ponticas urbes assignauit. Melitenem, Cæsaream, & coloniam quæ nunc Taxara diciuntur, Coppatino. Amisam, Doceam, & alias maritimæ urbes, Rucratino. Chaichosroes Iconium tenebat, ipsius Sultani sedem, & cū ea Lycaoniam atq; Pamphyliam, & quæ ad Cottyanū usq; pertinent. Coppatino mortuo, de eius principatu Rucratinus & Masutus certāt. sed Rucratinus ingenio & rei bellicę peritia uincit, et Masuto principatus partē adimit: atq; hac uictoria elatus, Chaichosroi, qui ex altera matre Christiana natus erat, Iconij potiundi cupidus,

cupidus, nisi bi regno cedat, bellum indicit. Chaichos-
 roes igitur ad Imperatorem Alexium Angelum patris e-
 xempli confugit: sed secus ac pater, nullis auxilijs impe-
 tratis, domum redijt. uixdum autem Iconium peruenit,
 cum à Rucratino pulsus, ad Lebunē in Armeniam fugit:
 ubi humaniter quidem acceptus fuit, sed nulla ope impe-
 trata Byzantiū redijt, ibi q; obscurus uixit. Hoc Alexio An-
 gelo imperante, Veneti Byzantium cæperunt. & Angelo
 pulso, Græci in Asia Theodorū Lascarim, eius generum,
 Imperatorem creārunt: qui non solum Bithynię & mari-¹⁰
 timae oræ imperauit, uerùm etiā in mediterranea longif-
 simè progressus, à Caria, & qua Meridies est, Mæandro flu-
 uio, Septentrionē uersus ad Galaticū pontū & ipsam Cap-
 padociā pertinebat, imperij sedem Niceę collocat. Quod
 ægrè ferens Alexius, per mare Aegæum Asiam ingressus,
 clām Iathatinē, Rucratini filium Sultanū supplex misera-
 bili habitu adit, ut imperiū sibi restituat orans: & ueterē a-
 micitiam illi in memoriam reuocans, prætereaq; aceruos
 pecuniarum pollicens: quibus rebus permotus Iathati-
 nes, statim Theodoro bellum exitiumq; per legatos mina-²⁰
 tur, ni socero cedat. & copijs collectis, Antiochiam ad
 Mæandrum sitam obsidet. Theodorus uerò & ipse exer-
 citu, numero quidem Turcico longè inferiori, sed uirtu-
 te pari, uel etiam superiore collecto, ei obuiam it: & supe-
 ratis tertio die montis Olympi angustijs, quæ in maxi-
 mam porreūt longitudinem Bithyniam ad Septentrio-
 nem, Phrygiam uerò ad Austrum habent: deinde Cay-
 stro amne traiecto, undecimo die improuisus Turcas
 nihil tale metuentes adoritur: eosque facile in loco an-
 gusto, ut copias explicare non possent, & ubi equis com-³⁰
 modè uti non poterant, ipso Sultano propria manu ob-
 truncato, fudit, & Alexium captum liberaliter apud se ha-
 buit. Post Angelο Theodoro imperante, anno Salutis cir-
 citer M C C X L , Scythæ Asiatici, qui medium inter
 Ryphæos montes & Oceanum Septentrionalem plani-
 ciem incolebāt (quos suprà Tartaros appellatos diximus)
 Asiam instar locustarum effusi penè uniuersam uastātes,

Turcis

Turcis bellum intulerunt, de quibus pauca nobis dicenda sunt. Erat hæc gens populosissima, omnium gentium ad Septenfrionem ultima, quam Homerus mortalium iustissimam uocauit: cæterum homines inopem regionem incolentes, omnium deliciarum, & agrorum ac uitium culturæ ignari, quibus uictum præbebant sponte è terra natæ herbæ, & sanguis, & carnes iumentorum, ferarumque & uolucrum uenatus: uestem nulla arte confectam, animalium pelles: argentū uero, aurum & margaritas, 10 cæterasq; gemmas nihil faciebant: nullos solennes ludos, nulla ambitiosa spectacula, nullas disceptationes habentes: sed pacatam, & seditionum expertem uitam agentes, ideoque sine lege, sine eloquentiæ usu, & argutijs, innata eos iusticia regente, aurea libertate fruebantur. quæ regio instar amplissimi fontis inumeras uarijs temporibus gentes effudit: hoc autem tempore hæc gens omnis in septem tribus (quarum hæc erant nomina, Tatar, Tangur, Cunat, Talair, Sonich, Nongli, Tebeta) diuisa, uincinarum prouinciarum, nempe Georgorum regibus pa 20 rebat, & angustum pro hominum ac iumentorum multitudine regionem habebat: cum senex quidam ex tribu Tatar, Cangio appellatus, uir obscuri quidem generis, sed prudentia & sanctitatis opinione insignis, in somnis oraculo admonitus, multisque miraculis eius orationi fidem facientibus, eos ad libertatem capessendam, uberioremque regionem & fines propagandos cohortatus, & Rex atque Imperator ab illis factus, extra inopissimæ illius regionis, quæ instar peninsulæ Persidi & Caspio mari opposita, Scythico undique 30 Oceano clauditur, unico tantum Isthmo, quem altissimi & inaccessi Ryphæi montes quasi uallo quodam muniunt, Asiæ coniuncta, maris fluëtibus (quemadmodum narrat Haytomus Armenus) ut uia illis inter montes ac mare paterecedentibus, eduxit. Quam obrem omnes illi Scythæ post à tribu, ex qua Imperator erat, Tartari sunt appellati, quorum antiquissimam originem multi (ut etiam de Turcis diximus) ad decem
Israelis

Israelis tribus referunt : quod unde habeant, non uideo. mihi quidem illud constare uidetur , Scytha à Magogo Iapeti filio ; cuius in Sacris literis sæpe mentio fit, originem ducere : & decem illas tribus à Persarum rege non in Scythiam, sed in Mediam translatas fuisse. Sed ut ut seres habeat, Tartari eo quo diximus modo, Cangio (quem Camum, honoris gratia , hoc est summum Imperatorem uocauere) duce, ab Hyperboreis effusi, Ioanne Duca Byzantij imperante , ad Caspium mare descenderunt. interim uero Cangio Camo defuncto , successit Hocco-¹⁰ ta filius , uir prudens & fortis , duodecim fratrum natu maximus. is Gebesabada duce ad Occidentis regiones debellandas misso, ipse Caspijs angustijs superatis , Sogdiana , Bactrianis & Oxo , Sogodo flumine , qui plurimis ijsq; magnis fontibus augetur, superatis, ad radices Tauri montis , ubertate illius regionis & præda antè parta fruens, hybernauit. Est autem Taurus mons omnium toto terrarum orbe maximus , qui continent quodam iugo cohærens, & ab Occasu proximè Aegæum mare incipiens, atque ac orientalem Oceanum desinens , Asiam ²⁰ totam in duas partes secat: idem & Caucasus appellatus. uere autem terra graminibus & herbis florescente, relictis ad Caucasus radices hybernis , maximorum gregum uel armentorum instar , montium cacumina superant , & subiectos populos inuadunt: eosque omnes prædati, in Indiam penetrant, quanta in utramq; ripam maximi fluuorum Indi patet , imperij finem Oceanum constituens: ibijs regia Cambalu , urbe amplissima , & totius Asiae ad omnem humanam iucunditatem optatissima , condita, sedem suam posuit. Deinceps per legatos bella gerēs, quos ³⁰ exercitibus præficiebat , ex fratribus & regia stirpe delectos : ex his alij Septentrionem , Occasum alij , & alij Austrum petierunt: & Arachosijs Caramanisq; , item alijs gentibus subactis, ac Perside occupata, Turcisq; inde pulsis, ad Chaldeos & Arabes peruererunt. Deinde ad Babylonios & Assyrios transgressi, occupataq; Mesopotamia, Persas, Parthos & Medos subigunt. Post per Armeniam

meniam maiorem ascendetes, Septentrionem uersus ad Colchidem, & finitam illi Iberiam summa celeritate excurrant, adeò ut res illorum & maximæ & clarissimæ fuerint. Habebat autem in animo summus ille Tartarorum princeps, imperij sui limites undique littoribus maris terminare: sed amoenissimæ regionis Indiæ delicijs eneruatus, prouincijs, urbibus, ædibus, prædijs feracissimis delicatissimisq; inter suos distributis conquieuerunt: & Assyriorum, Persarum, Chaldæorumq; ritus acceperunt. Vbi igitur primùm Tartari isti Caspios montes transgressi, Alexandriam urbem ad claustra ipsa sitam, quæ nunc Portæ ferreæ nuncupatur, repentina ui cœperunt: Turcarum princeps Sultanus, hac nouorum ferocissimorumq; populorum irruptione uehementer territus, timens ne Tartarico bello distraetus, hostilem Romanorum exercitum à tergo haberet, legatos omni rei gerendæ autoritate præditos, ad Imperatorem firmandæ pacis causa mittit: quod & Imperatori, utpote cui Europæis bellis occupato, Turcæ contra Tartarorum impetum pro uallo in Asia essent futuri, gratum fuit. Fœdus igitur cum Turcis cupidè amplexus est, Græco Imperio utilissimum. Nam cum diuturnorum bellorum ærumnis afflicti homines, iam neque agros colerent, nec armenta curarent, summa annonæ pecunia ubique labrabatur, & æraria quoque diuturnis sumptibus erant exhausta. quamobrem ijs nunc liberatus, ad pacis artes animum cōuertit: ac ut suo exemplo reliquos excitaret, ipse tantum incultæ terræ, ut bonum patrem familiâs & populi principem decet, sua cura colendum suscepit, arationi & plantandis uineis idoneæ, quantum satis fore putabat ad suam mensam, & eos sustentandos, quos pro liberalitate ac perpetua benignitate fouendo suscepserat: pauperes uidelicet, & uarijs afflictos morbis: quibus domicilia assignauit, & curatores præfecit, qui & agros colere, & uineas plantare scirent, & quotannis uberm frumentum prouentum reposuit: atque etiam armenta equorum & boum, ouium item & porcorum greges, ac uasaria ge-

ria genera cicurum auium parauit , unde multiplicem
quotannis prouentum percipiebat . & idem cæteris co-
gnatis suis ac proceribus atq; nobilibus faciendi autor fu-
it , ut cum quisque haberet unde uiueret , nemo plebeios
& inopes per uim oppriimeret , aut grauia tributa impe-
raret : sicq; Romana Respublica omni maleficio & crimi-
ne uacaret , adeò ut paucorum annorum spacio omnium
& horrea & cellæ referta frugibus & uino conspicerent-
tur : & uiæ ac plateæ , stabula & ouilia , pecorum multi-
tudinem , gallinarumq; & cæterarum auium greges uix 10
domus & horti caperent . Huic felicitati accessit , ut Tur-
cæ fame & maxima annonæ penuria affligerentur : un-
de factum est , ut omnes illorum auri , argenti , cætera-
rumque deliciarum & preciosarum rerum opes , hoc di-
uino Imperatoris consilio in Romanorum manus per-
uenerint . Videre enim erat , ab illis maximi precij merces
exiguo frumento commutari : & quælibet auis , bos , hœ-
dus , magno precio ueniebant : tum uiæ omnes eius gen-
tis hominum , mulierum , uirorum & puerorum , adeun-
tium & abeuntium à Romanis prouincijs plenæ erant : 20
adeò ut , cum oua imperatricis gallinarum quotidie uen-
derentur (neque enim omnia in familiæ usum consu-
mi poterant) eaque Turcæ magno precio emerent , pe-
cunia ex illis collecta , exiguo tempore ipsi Imperatrici
corona gemmis & magaritis preciosissimis distincta fa-
cta sit : quam ideo Imperator Ouatam nominauit . &
sic breui Imperator , & se , & subditos omnes fortunis
beatos reddidit . Interea Tartaris , Baydo duce , in Tur-
carum fines progredientibus , Iconij Sultanus quam
maximo potuit , ex omnibus gentibus exercitu collecto , 30
(habuit enim & Græcorum & Latinorum , hoc est , Ita-
lorum , Germanorum & Gallorum duas cohortes , ex
quibus Græcæ cohorti præfuit Ioannes Lyuitnada Cy-
prius , uel , ut alij uolunt , Palæologus , qui ab impera-
tore defecerat : Latinæ autem Bonifacius Molineus ,
patricius Venetus) suis quemque uestibus & armis orna-
tum , & sic Tartaris prope urbem Arscor in Armenia
maiori ,

maiori, loco quodam Cosdrach appellato, occurrit. Tar-
tari uerò peregrino exercitu conspecto, maiora illi au-
xilia missa fuisse opinantes, uehementer territi fuerunt:
& nisi quidam Sultani cognatus, in ipsius pugnæ initio
cum magna manu, ueteris simultatis memor, ad hostes
defecisset, terga daturi erant. quæ res Turcarum fortu-
nas euertit, & Tartaris regnum illorum penè totum adie-
cit. Tartari enim prælio uiictores, Euphrate fluuiio supe-
rato, Syriam usq; ad Palæstinam & Arabiam subigunt.
• 20 Deinde reliquijs Syrorum, Arabum, Phœnicum annuis
tributis imperatis, multis manubijs onusti Orientem re-
petunt. Sed anno sequenti rursus intra Euphratem irrum-
pentes, Septētrionem uersus in Cappadociam & ad Ther-
modontem fluuium peruererunt: & Iconio Turcarum
regia capta, Azatines Sultanus cum fratre Meleco exul ad
Imperatorem Michaelem Palæologum confugit, quem
ipse paulo antè liberaliter & munificè apud se profugum
habuerat: eumq; ueteri amicitia in memoriam reuocata,
rogat ut uel opem ferat contra Tartaros, uel partem ali-
20 quam agri, ac ueluti coloniam sibi assignet, in qua cum
suis tutius considere queat. adducebat enim secum uxo-
res & liberos, famulosque multos cum magnis diuitijs.
Imperator autem, tot undique bellis urgentibus, copias
suas minuere nolebat: terræ autem partem tanto uiro,
qui multis prouincijs imperasset, & regio fastu ab ineun-
te ætate educatus esset, assignare periculosem existima-
bat. subiectos enim satrapas, ducem suum quæsituros,
& uarijs in locis dispersos, ut planetæ noctu aberrantes,
ad eum qui facem præfert, & uiam monstrat, concur-
30 runt: sicollos ad regem suum accursuros, ac tandem Ro-
manos insigni clade affecturos. Quamobrem eum spe fo-
uens, ancipitem detinebat: ubi cum Christianis paren-
tibus Azatines natus esset, & sacro fonte ab inuite
lauatus, sacras conciones assidue cum Imperatore a-
dibat: & tamdiu apud Imperatorem mansit, donec Scy-
this Europæis adiuuantibus, ex oppido Aeno cum filio
suo Meleco profugit, Istrumque traiecit, & paulo post
s 2 obiit.

140 SARRACENICAE HISTORIÆ
objit. Meleucus uero per pontum in Asiam ad Tartaros transiit: ab eisque Turcicæ gentis regnum, ut paternam hæreditatem, impetravit. Sed satrapes quidam nomine Amurius, illi infestis armis occurrit, adeò ut fractus Heracleam Ponti urbem confugerit: sed paulo post ad suos reuersus, patrium regnum recuperauit, & breui per insidias fuit interfactus. Sicq; euersum est Turcicum imperium, atque ex optima disciplina, splendidaq; fortuna, ad maximam perturbationem prolapsum: quoniam non modò proceres & nobiliores regnum in plurimas partes diuiserunt, uerùm etiam multi obscuri & ignobiles homines infima plebe ascita, latrocinari cœperunt, præter arcum & pharetram nihil secum gestantes: qui angustijs montium infessis, finitimos agros & Romani imperij urbes crebris incursionibus uexabant. Nam paulo antè acciderat, ut præsidia quæ arces tuebantur, cum annua stipendia illis ab Imperatore non numerarentur, inde migrarent. quæ res initio, ut parui momenti, neglecta, maximas tandem clades Romano Imperio attulit. Turcæ enim, cum à Tartaris pellebantur, Græcos pellebant: & quām infirmi erant contra illos, tam fortes contra hos existebant, adeò ut tandem etiam ad aperta bella deuenerint. Multis enim Turcarum copijs in Paphlagonia collectis, Imperator magno & firmo exercitu celerem illorum, quantum fieri posset, incursionem inhibendam censuit, ne impunè longius euagarentur. Itaque collectis copijs, exercitum contra eos misit: qui Turcas prælio uiatos, dum fuse nimis ultra fluuium persequuntur, in insidias præcedenti nocte à Turcis paratas incidentes: hinc recenti milite & instrueto exercitu, illinc flumine interclusi, penè omnes cæsi sunt. Vnde post Turcæ Romanas prouincias populabundi, ad Sangarium amnem usque percurrerunt: & à mari Pontico atq; Galatia, ad Lycium & Carium mare, & Erymedontem fluuium omnia suæ ditionis fecerunt. Hoc etiam tempore in Aegypto Mamaluci, id est serui regnum occupârunt, imperijq; fines in Africam & Libyam Gades

Gades usque promouerunt : nec non Phœniciam & Syriam, omnemq; oram maritimam domuerunt.

Quod quomodo factum sit, explicemus. Calyfæ, & omnes Sarraceni, eius regionis delicijs eneruati, eò ignauæ uenerant, ut ditissimum regnum possidentes, facile à quo quis debellari possent : & Calyfæ ipsi toti luxui ac uoluptatibus dediti, nulla negocia curarent, sed omnia per regni Admirantem administrarent. Cum igitur Balduinus Ierosolymorum rex, Aegypti regnum si-
bi uectigale fecisset, idque uectigal Almericus eius frater
& successor sibi pendi postularet, idque Aegyptij ei de-
negarent: ipse cum exercitu Aegyptum petijt, & Darga-
num regni Admirantem, in solitudine cum copijs oc-
currentem prælio uicit, & in urbem Bilbis fuga se recipere coegit: ac Nilo, qui tunc annum suum incremen-
tum habebat, aggeribus ab Aegyptijs, ut eius uictoriæ
cursum sisterent, ruptis, restagnante, spolijs hostium o-
nustus, ne cum toto exercitu aquis submergeretur, in
regni sui fines rediit. Qua occasione arrepta, Sanar, quem
Darganus paulo antè eadē Admirantis dignitate ui-
deicerat, quique ad Arabes tribules suos confugerat, ad
Norandinum Sanguini filium; Damascenorum regem
potentissimum, se contulit: & auxilium ab eo contra Dar-
ganum iam fractum, & populo inuisum petijt: idq; mul-
tis muneribus promissis à Norandino, se, si sui milites se-
mel Aegyptum essent ingressi, facile eo regno potiturum;
sperante impetravit. dedit illi Norandinus magnus au-
xiliares copias, quibus Syracenum militiae suæ princi-
pem præfecit, virum industrium, fortem, & supra fortuna-
rum suarum vires liberalem, gloriæ cupidum, & rei mi-
litaris peritissimum, quem munificetia militibus charum
efficiebat: sed obscuro genere natum, quib. auxilijs fretus
Sanar Aegyptum inuasit. Dargan uero territus, ab Iero-
solymarum rege opem, fœdus perpetuum cum eo paci-
scens, petijt: sed priusquam legati eius cum responso
redijssent, à quodam ex suis sagitta interfecetus fuit, cum
iam Sanarem & Turcas uno prælio uicisset. quamobrem

Sanar quasi uictor uoti compos factus est , eiusq; consanguineos ac familiares omnes interemit : Calyfa interea , quasi altissimo somno consopitus esset , in uoluptatibus luxuq; immerso . nihil enim sua interesse arbitrabatur , quis regni negotia curaret , modò is se dominum nuncupatum agnosceret . At Syraconus Bilbis ciuitatem , olim Pelusium , occupauit , sibiq; retinuit . qua re motus Sanar , fœdus à Dargano cum Almerico paectum instaurauit : sicque Almericus cum exercitu in Aegyptum profectus , & coniunctis cum Sanare tribus , Bilbis urbem obsidione ¹⁰ cinxit , Syraconumq; ad ditionem compulit : qui inde digressus Babyloniæ Calyfam adjit (Norandinus enim , alijs bellis cum Christianis in Syria gerendi occupatus , Aegypti rebus uacare tunc non poterat) & Aegypti opibus , ubertate , populique molicie expositis , eum ad id bellum capessendum , iam antè æmuli sui odio id cipientem , impulit : ingentibusque Arabum , Persarum ac Turcarum , qui Babylonium pontificem uenerabantur , copijs collectis , & multorum dierum commeatu , propter solitudinem quæ inter Syriam atque Aegyptum ²⁰ est , sumpto , rursus in Aegyptum contendit . Quod audiens Almericus , & ipse exercitum quam potest maximum colligit . pugnatum est in solitudine , ancipi utrinque fortuna , & cruento prælio . Syraconus ex fuga se cum exercitus reliquijs Alexandriam recepit , quam Almericus diu obsessam ditione cœpit : & Syraconus se cum suis Damascum cötulit , Almericus uero in regnum suum redit . Sed paulo post Sanarem cum Norandino fœdus contra se moliri aut suspicatus , aut ob eius regni occupandi desiderium fingens , Aegyptum inuadit , & ³⁰ Bilbis urbem ui capit : in omne genus hominum , omnemque æatem ac sexum ferro & flamma sæuiens . quamobrem Sanar à Norandino auxilium petit : & simul ingenti pecunia promissa , tamdiu Almericæ uictoriæ cursum remoratur , donec auxiliares copiæ ueniant . de quarum aduentu certior factus Almericus , Aegyptij finibus excedit . Itaque Syraconus , qui Norandini co-

dini copias ducebat , Aegyptum externis auxilijs spoliatam inueniens , Cairum regni sedem petit , Sanacem ad colloquium egressum obtruncat : urbeq; statim potitus, Calyfæ honorem exhibit: ab eoq; Admirans regni appellatur. eaq; dignitate annum potitus obijt: Saladinum, suum ex fratre nepotem , acris ingenij, fortemq; , & liberalissimum uirum , successorem relinquens . qui statim Calyfam cum tota eius progenie trucidauit , ut solus ultranque potestatem obtineret: & sic opulentissimum illo lud regnum Turcis cessit anno MCL . Deinde Saladinus, ut erat prudens , Aegypti molliciem uidens (quæ homines ita eneruaret , ut semper eius reges , si qua maior uis ingrueret, externis auxilijs opus haberent) aliquod militię genus instituere statuit , quod eius regni propugnaculum esset : & populos qui magis ad Septentriones uergunt , Australibus ad belli usum aptiores fortioresq; esse uidens, cum populis quibusdam , qui circa Maeotim & Pontum sedes habent , Circassis (à Plinio autem & ueteribus Zegis appellatis) foedus inijt , commerciumq; instituit : ut pueros & adolescentes ab illis certo precio haberet , qui in Aegyptum perducti , atque ab ineunte ætate in militari disciplina instituti , armorumq; usum edocti , soli arma tractarent , honoresq; ac dignitates bellicæ penes illos essent . Sunt enim Zigeæ natura ferocissimi , laboribusque perpetuis & malis preferendis , iam ab incunabulis assueti: eam Ponti ac Maeotidis oram, quæ circa Phasin fluum , Colchidis terminum , atque Tanais ostium est , incolentes , qui tractus patet circiter D. M. P. qui non in urbibus , sed hinc inde sparsi & uicatim habitant : religione Christiani , uerum nonnullos à nostris dissimiles ritus habentes . infantes statim ubi nati sunt , uel media hyeme , ad flumen deferunt , ibique lauant: omnes ferè formosi sunt. regio palustris est , arundinibusq; plena, ex quibus & tuguria faciuntur. cum Tartaris , & alijs finitimis gentib. perpetua bella gerunt . nobiles nunquam nisi armati & lorica induti conspicuntur: semperq; equis insident, quos ad cursum habent aptissimos: sed plebeios nullum

nullum habere patiuntur. eos enim agros colere cogunt. Regem nullum, dominum' ue habent, aut leges scriptas: nec literas ulla norunt, uerùm lites omnes aet armis aut amicorū intercessu dirimunt: in peregrinos hospitales sunt, raptoq; , aut ex uenatione uictitant. Ad hos igitur Saladinus quotannis negotiatores suos mittebat, qui iuuenes ab illis bello captos, aut etiam pauperum inter illos filios emptos, in Aegyptum perducerent. ex ijsq; ualidam militiam instruxit: qui post Mamaluchi, id est serui, sunt appellati. quorum opera Damascum, Norandino defun¹⁰ eto, uniuersamq; Syriam, & Christianis pulsis Iudæam quoque, nec non & maximam Africę partem occupauit: ita ut post tres essent maximi inter Turcas principes, quorum unus Persidi, alter Cappadociæ cum uicinis prouincijs, tertius Aegypto & Syriæ imperaret. Regnauit autem in Aegypto, huius Saladini genus, per ceturum & quinquaginta annos: soliq; Aegypti reges, eius posteri, aduersus Tartaros, huius militiae & fœderis, quod cum Zigi habebant, beneficio inuicti permandere. nam quotiescunq; Tartari eis bellum inferebant, Zige uicissim Tartaro-²⁰ rū fines ab altera parte populabantur: & Mamaluci Tar taros fortitudine, atque rei militaris peritia longè superabant. Saladini autem genere extincto, cum nullus superesset legitimus regni haeres, omnisq; potestas penes Mamalucos esset: qui Zigarum morem seruantes, quasi ipsi soli nobiles essent, & Aegyptij omnes plebeij, neminem in tota Aegypto, praeter se, equum aut arma habere patiebantur: ipsi ex suo numero quendam, cui Peperis nomen erat, regem creârunt: eum morem in posterum seruentes, ut non filius patri succederet, aliqua' ue regiae stirpis³⁰ ratio haberetur: sed regis filij non secus atq; cæteri serui, qui quotannis aduehebantur, in armis instituerentur: nec quisquam paternam haereditatem, aut aliquid supra id quod ipse metuisset, commodi honoris' ue haberet, uerùm singulis omnia ex propria uirtute essent petenda. Fuit Aegypti regnum à Saladini stirpe ad Mamalucos translatum, anno à Christo nato circiter M C C C . hiq; ad an-

num M D X V I I regnarunt: tunc uero à Selimo Turca
rum Imperatore deleti sunt. Regno igitur Aegypti in
hunc modum à Saladino occupato, eiusq; Calyfa extin-
cto, unicus inter Sarracenos Calyfa mansit, qui Bagade-
tis sedem habebat, & quasi Deus quidam à Sarracenis &
Turcis colebatur. Sed eum Haloonus Tartarorum Impe-
ratoris legatus, anno MCCLVIII in potestatem suam
redactum, Mustaceno Munibila, qui tunc eam dignita-
tem obtinebat, inter ingentes quas habuerat diuitias,
fame necato, sustulit. Deincepsque Sarraceni duento-
rum ferè annorum spacio summo pontifice caruerunt,
donec in Perside iterum Muamedis genus, circa annum
Salutis nostræ M C C C L X X regnare cœpit: quod
quomodo factum sit, est nobis indicandum. Erat qui-
dam regulus inter Persas, Ardenelim oppidum obtinens,
Sophi appellatus, qui se ex Alis, Muamedis generi, stirpe,
per Musam Cazinum eius nepotem, cuius in primo Li-
bro mentionem fecimus, oriundum gloriabatur. hic
Babylonio Calyfa extincto: & aduersa factione, quam
Turcae tuebantur, à Tartaris depressa, cœpit liberius
suam de religione sententiam profiteri. & quia Hocemus
Alis filius, à quo ipse se genus ducere iactabat, duodecim
filios habuerat: uolens aliquod sectæ suæ, quo à cæteris
dignoscerentur, signum imponere, instituit, ut qui suam
sectam amplecti uellent, tyaram sub uelo, quo caput
Turcae omnes inuoluunt, tulibante appellato, purpure-
am gestarent, quæ in medio extra tulibantem duodecim
fastigia emitteret. Eoq; mortuo, successit filius Guines ap-
pellatus: qui tantam sibi in toto Oriente doctrinæ san-
titatisq; existimationem conciliauit, ut Tamerlanes ille
clarissimus Parthorum Imperator, qui Baizetem Turca-
rum regem cœpit, per Persidem iter faciens, eum quasi
sanctum aliquem uirum inuisere uoluerit: ab eoque Gui-
nes triginta captiuorum, quos secum abducebat, millia
dono impetrârit, quos ipse post in secta sua instituit: eo-
rumq; opera Secaidar eius filius in bellis usus est. is enim
Guine mortuo, Georgis Scythiae populis, suis finitimiſ,

t sed

sed Christianis, horum viribus fretus, bellum intulit, multisque illos cladibus affixit. Regnabat in Perside Turca quidam, Mirza Geunsa appellatus: isque cum Hacembeco (quem alij Assambeium vocant) Armeniæ maioris, quæ ab illis Diarbec vocatur, rege, itidem Turca, bellum gerebat: quo in bello Acembecus, Mirza in prælio occiso uicit: & Perside potitus, quia obscuro genere ortus erat, nec propinquos habebat, ut regni statum affinitatibus muniret, filiam suam ex Trapezuntij Imperatoris filia, quæ Christiana erat, natam, Secайдaro nuptui dedit. Hacembeco autem mortuo, successit illi Iacobus Becus, quæ vox dominum significat: is Secайдari sororij sui potentiam, quam tum ex noua secta, tum Georgicis bellis adeptus erat, metuens, eum insidijs in eo ipso bello quod cum Georgis gerebat, auxilijs clam eius hostibus datis interfici curauit: & duos eius filios Ismaelem & Solymanum, cuidam familiari suo ad Mansorem Depornam Siraciæ urbis, quæ longissimè distabat, præfectum perducendos dedit: eiique mandauit, ut eos in arce munitissima Zalgah appellata, quæ in ardua rupe est, sub custodia tamdiu haberet, donec ipse aliud mandasset. Sed Mansor eorum, ob Alis, à quo originem antiquissimam ducebant, honorem, misertus, liberaliter apud se habuit, & cum suis liberis in literis institui curauit: cumque post aliquot annos in grauissimum morbum incidisset, quo sibi uitæ finem imminere videbat, metuens ne Cacemus filius adolescens se mortuo hos iuuenes Roceno, qui Iacobo patri mortuo successerat, traderet: eos pecunia, equis & comitibus itineris datis, ad matrem & propinquos ipsorum misit: ubi de statu suo, quem hactenus ignorauerant, edocti, & propinquis atque clientibus paternis undique ad eos accurrentibus: Ismael maior natu, qui ingenio maiori erat praeditus, fato eum suo & animo inuitantibus, se patris necem ulcisci uelle dixit: & post aliquot incursionses in Georgiorum fines factas, exercitu eius quotidie crescente, se Alis doctrinæ viriumque defensorem nuncupans, Roceno Persarum regibolum

lum intulit . & quoniam is duodecim fratres habebat,
 cum quibus de regni successione armis contendebat : i-
 pse illus cum reliquis omnibus Marabecō excepto inter-
 emit. Marabecus autem ad Turcarum principem Soli-
 mum confudit, eiusq; opem implorauit: unde post mul-
 ta inter Ottomanidas & Sophianos bella sunt orta . sed
 priusquam ille Turcarum auxilia impetrasset, Ismael non
 solum Perside tota est potitus , uerū etiam multas de
 Tartaris praeclaras uictorias retulit : & sic rursus in Persi-
 de Sarraceni Turcis pulsis regnare cœperunt , anno post
 Christum Seruatorem natum circiter M D. & hodie re-
 gnant . Turcæ autem coniunctis viribus , cum omnes in
 Asia Romanorum prouincias ad mare usq; occupasseint,
 eas inter se forte distribuerunt : qua in distributione Phry-
 giæ mediterranea , Philadelphiā usq; , & prope Antio-
 chiam ad Mæandrum fluuium sitam, Carmano Alisurio
 obuenerunt, unde regio post Carmania dicta est . Quic-
 quid inde est Smyrnam usque , & ad interiorem Ioniæ o-
 ram, Sarcano cuidam obuenit. Magnesiam , Prienem &
 Ephesum , Sasan occupauit . A' Lydia & Aetolia ad My-
 siam , ad Hellespontum sitam, usque Calames, atque eius
 filius Cerasus obtinebant. A' flumine Sangario ad Paphla-
 goniam usque , Armurij filij inter se partiti sunt : Quæ
 citra Olympum sunt , & Bithyniam omnem , obtinuit
 Atman, siue Ottomanus (à quo hec familia, quæ hodie re-
 gnat , originem habet) Anno Salutis nostræ supra mille-
 simum trecentesimo , Alberto primo Austriaco Cæsa-
 re, Germaniæ imperante. Et ab hoc Ottomano , Lao-
 nicus Chalcocondyla Atheniensis, Paulus Iouius, & cæte-
 ri Græci pariter ac Latini Turcarum rerum Scriptores,
 historias suas auspicantur : quo circa nos , ne Iliada
 post Homerum canere uideamus, hic
 finem faciemus .

SARRACENICÆ HISTORIAE C. AV.
 GUSTINI CURIONIS
 1518.

82 DE

DE SARRACENORVM ET TVR^Z
CORVM ORIGINE ET REBUS GESTIS, CHRO-
nicum Vuolfgangi Drechsleri.

567.  ASCITVR Machometus patre Abdara, matre Emma, ex gente Ismaelitarum, temporibus Mauricij Imperatoris, & Gregorij pontificis Romani.
623. Machometus suo perniciose dogmate, instinctu et insidijs Ioannis Antiocheni, & Sergij Italici monachi, Alcoranum scripsit: & seducens Arabas, aliosq; Asiaticos populos, eos Sarracenos nuncupauit.
637. Moritur Machometus, ipse ætatis agens annum quadragesimum. Se-
pultus in Mecha Persidis urbe.
638. Hierosolyma post biennalem obsidionem à Sarracenis deuastata.
639. Tota Syria à Sarracenis clade affecta est.
640. Sarraceni ab Imperatore Romano defecerunt.
641. Antiochia à Sarracenis euersa, Damascus capta, Phœnicia oppugnata, subacta Aegyptus.
648. Maximam partem Africæ Sarraceni suo imperio subiugârunt.
655. Rhodus nobilissima insula à Sarracenis oppugnata est: quam capientes, plurimum ex ea auri auexerunt: & colossum Solis nobilem, altum 110. ped. ex cuius aere Iudæis uendito, noningentos camelos onerasse dicuntur.
656. Aegeum mare píratica infestarunt, & Cycladibus insulis multa intule-
runt damna.
663. Sarraceni Olympiū Italiæ exarchū in Sicilia cum toto exercitu fuderūt.
668. Constantinus IIII, cum Muchamedo rege Sarracenorum hac conditio-
ne iniit pacem, ut Sarraceni magnam uim auri Romanis exoluerent, cum
insigni equo, & cum nobili puerō.
672. Irrupere Sarraceni in Siciliam, & Syracusis captis, omniq; terra deua-
stata Alexandriam redière.
675. Obsessa est Constantinopolis à Sarracenis: qua frustra sèpius oppugna-
ta, cum nauibus consensis domum redire statuissent, maior eorum pars
naufragijs periit.
676. Romani Sarracenos uicerunt, occisis triginta eorum millibus.
679. Pax secundò inter Romanos ac Sarracenos ad triginta annos hac lege
facta est, ut Sarraceni Romanis tria millia librarum auri, & quinquaginta
captiuos nobiles cum totidem equis annuatim soluerent.
686. Sarraceni rege Ammiratho Africam & Libyam inuaserunt, multis spo-
lijs ditati.
687. Mortuo Constantino, Iustinianus eiusmodi conditionib; cum Sar-
racenis pacem iniit, ut Africa & Libya imperio restituta, per decem an-
nos singulis diebus mille aureos, & equum cum nobili puerō loco tributi
penderent.
688. Hoc foedere rupto Iustinianus pugnam cum Sarracenis iniens, pluri-
num damai ab ijs retulit.
692. Fusis per Sarracenos Romanis, nomen Sarracenum creuit, dignitas
Romanorum uralde immunita est.
698. Abimelech Sarracenorum rex Africam inuadens, non diu uictoria ga-
uisus est.
700. Romani Syriam deprædantes, ducēta millia Sarracenorum fuderunt.
706. Contentione de imperio inter Iustinianum & Leontium orta, Sarrace-
ni Africam rursus occupauerunt.

Sarace-

Sarraceni ex Libya nauigantes, primum intulerunt pedem Hispanię, 710.
ustantes Tarragonensem, Bethicam & Lusitaniam.

Cum trecentis nauibus Sarraceni Asiatici Constantinopolim appulere, 718.
& eam mari terraç acriter oppugnârunt. Eodem anno in Bulgaris duo &
uiginti milia Sarracenorum cæsa.

Zulemon Sarracenorum rex, in castris ante Constantinopolim mori- 719.
tur, sublato in eius locum Amiratho.

In obsidione Constantinopolitanæ urbis multi ex Sarracenis, fame, pe- 720.
ste, & frigore interfrerunt. Superstites cum domum reuerti statuissent, exor-
ta tempestate maris, & igne de cœlo cadente, partim igni, partim aquiscon-
sumpti sunt: adeò ut ex classe trium millium nauium, quinç tantum naues
euaserint. Durauit hæc obsidio totum biennium. Eodem anno Sarraceni
resarturi perpesta mala, cum ingenti exercitu in Hispaniam irruunt, om-
nem terram excepta Gallicia depopulantes.

Abidimarus Sarracenorum Africorum dux, Burdegalam Galliæ ur- 721.
bem ui captam diripuit: & in Pictaos mouens, à Carolo Martello repref-
sus est. Abidimaro autem principe occiso, Sarraceni aliquantulum ab
armis quieuerē.

Sarraceni deductis secum uxorib. liberis, ac omnī familia, Galliam incur- 730.
runt, quasi perpetuò ibi habitaturi. Cū ijs pugnā inijt Carolus magnus, Gal-
lis in auxilium uocatis, & trecentis octuaginta millibus Sarracenorū inter-
fectis: ipse tamen mille & quingentorū militum ex suis iacturam fecit.

Carolus Francorum rex Aunionem, claram Galliæ urbem, à Sarrace- 735.
nis dolo captam, sua uirtute liberauit.

Carolus multas alias ciuitates, expulsis Sarracenis, paci ac libertati resti- 737.
tuimus, Amorreο altero eorum duce occiso, Athino altero fugato.

Idem adiutus Luitprandi Lombardia regis auxilijs, extota Gallia Sar- 738.
racenos eiecit, atque expulit.

Constantinus Copronymus, imperator Constantinopolitanus, classem 744.
30 aduersus Sarracenos Aegyptios duxit.

Sarraceni in Oriente suo imperio semper aliquid, quod Romanorum 759.
erat, subiecerunt, Romanis intestinis odijs dissidentibus, & in solos Gal-
liarum reges intentis.

Carolus Magnus contra Sarracenos pugnauit feliciter in Hispania. Ro 778.
landus Sarracenum Christianos sæpe prouocantem, duello uicit: eo que
strato, suis faciliorem uictoriā præbuit.

Leo quartus Impator in Sarracenos Syriā inhabitantes incursionē fecit. 780.

Aaron Sarracenorum princeps cum trecentis millibus expeditis equi- 803.
tibus, Nicephorum regem Constantinopolitanum oppugnauit, eumç
40 tributarium reddidit, impositis legibus iniquisimis.

Sardinia & Corsica insulæ à Sarracenis deprædatae. 807

Sarraceni Cretam insulam suæ ditioni subiçiunt, Græcis dupliciti præ- 826.
lio superatis.

Sarraceni Asiatici in Palæstinam, Africani in Siciliam irrumpunt. 828.

Bonifacius Corsicæ comes Christianorum auxilio destitutus, exceptis 830.
Hetruscorum populis, traiecit in Africam, & inter Carthaginem & Vti-
cam quatuor prælijs uictor extitit: & terrore nominis sui, ex Sicilia Sarra-
cenos domum ire ad propria defendenda compulit.

Multis terris Sarraceni maxima intulerū damna, & metu ciuitates plu- 836.
timæ hinc inde ad eos defecerunt.

50 Saba rex Maurorum, Sarracenorum dux, Siciliam & sinum Crotonien 843.
sem uastat, Tarentum capit: cui Theophilus Imperator, & Venetorum
clases frustra restiterunt.

845. Sarraceni inuidentes Hetruriā & Latium, Romam deprædati sunt: sed antequam domum redirent, plurimi naufragijs deperiēre.
846. Illyriō & Dalmatia uexata, Adriaticum mare transeuntes, Anconam Picenī urbem direptam incenderunt.
847. Leo quartus pontifex, reliquias Sarracenorum ex portu Ostensi eiecit, & Transtyberinam regionem contra eos muniuit.
848. Sarraceni prædæ causa iterum irrupere in Italiam, & Beneuentanum agrum in Samnitibus igne ferroq; uastarunt: sed à Ludouico & Lothario regibus in fugam sunt conuersi.
849. Cum Persis Sarraceni iterarunt bella. Persæ Turcico milite usi (mon. 10 tem Caucasum tum Turcæ habitabant, & uocabantur Tartari) illorum auxilijs uicerunt. Ab eo usque tempore Turcæ nunquam postea reliquerunt Asiam, & in Sarracenicum tam regnum quam nomen transluerunt.
850. Ex Sicilia Sarraceni, quam septimum & quadragesimum annum tenebant, penitus expelluntur.
851. Carolus Crassus irrumptentes Sarracenos Italia arcuit.
852. Nicetes dux Constantiopolitanus Imperatoris, egregiam uictoriam de Sarracenis reportauit.
853. Sarraceni Apuliam & Calabriam inuadunt.
854. Ad Lyrum Campaniæ fluum, Sarraceni Romanorum ciuitates uastantes, uincuntur.
855. Genuam Liguriæ urbem Sarraceni depopulati sunt: collectaq; ingenti præda, in Africam redierunt.
856. Hugo Italij rex Fraxineto capto, Sarracenam classem exussit.
857. Radamirus rex Galliq; maximū exercitū Sarracenorum fudit in Hispania.
858. Sarraceni Calabriam, Apuliam, Lucaniā cædibus & incendijs replentes, uirtute Alberici Hetrusci marchionis repressi sunt, & in agro Minturnensi in Campania ad Lyrum fluum superati, cum accessionem ad urbem Romam instituissent.
859. Sarraceni ex Gargano monte, in quem se contulerant, incursionses frequentes in finitos faciunt. Beneuentum captum incendunt.
860. Otho primus, Germanorum Imperator, Sarracenos Italia expulit, & Garganum montem recepit.
861. Sarraceni Consentiam recuperarunt, ex qua paulo ante ab Vngaris eieci erant.
862. Creta insula Sarracenis erepta.
863. Otho secundus, cum Sarracenis, quibus cum socia arma ex foedere Græciconiunxerat, in Calabria, magna sua clade confixit, Idibus Iulij, fortissimis autem suorum interfectis, ipse fuga uix saluus evasit.
864. Alphonsus Hispaniæ rex, Sarracenorum præsidium quoddam, nomine Viseum, obsidens, sagitta percussus, uitam cum morte commutauit.
865. Sarraceni dupliciti exercitu Italiam ingressi, Capuam cæperunt, Barum obsidione preterunt.
866. Sarraceni Asiatici Hierosolymam occuparunt.
867. Henricus secundus Germanorum Imperator, Sarracenos Capua expulit, & duces quosdam eorum partibus fauentes graui bello persecutus est.
868. Calyphas Aegypti preses, Sarracenico exercitu et Turcico (qui tum Perfidem occupauerant) adiutus, templum Domini Hierosolymis diripuit, 50 & spoliavuit.
869. Calypha mortuo, Impator Constantinopolitanus cū Dobire filio, & successore eius foedus iniit, & eius permisso Dominicū templū instauratū est.

Rober-

Robertus Nortmannus Capuam à Sarracenis obfessam liberat, & Græ 1056: eos cum eis confederatos Calabria ejicit, sacerdotibus tantum relictis.

Antiochiam & Cæsaream uexantes Sarraceni, repressi sunt.

Ad Cinitum oppidum, ultra Bosphorum Thracium, multi Christiani 1095: à Sarracenis occisi sunt.

Hispania, Gallia, Anglia, Scotia, Dania, Lotaringia, Alemania, Burgundia, Lombardia, Italia multi exercitus contra Sarracenos in unum confluere, animo exturbandi illos ex Hierosolymis & tota terra sancta.

Prædicti exercitus apud Niceam urbem duabus stragibus Sarracenos 1097: fuderunt. Receptæ quoque sunt Heraclea & Tarsus.

Christiani ex Antiochia expulere Sarracenos, quam obsederunt mensibus undecim. Hostium centena millia occisa, quod prælium commissum est quarto Cal. Iulij.

In agro Hierosolymitano bellum à Christianis contra Sarracenos commissum est: & Dei benevolentia Sarraceni uicti, Hierosolyma à Christianis recuperata, Idibus Iulij mensis.

Gotfridus Bolionius Remensis, Lotharingiæ dux, qui primus muros ascenderat, rex Hierosolymorum à Christianis uictoribus creatur.

Eodem anno Sarraceni, duce Calypha Babylonio, cum centenis milibus equitum, & quadrincentis millibus peditum, contra Christianos parauerunt exercitum. Christiani autem quinq; millibus equitum & quindecim millibus uirorum occisis, Hierosolyma conseruant.

Gotfridus Ascalonem cœpit, magnoq; aurí pondere ibi potitus est. Eo- 1100: dem anno Gotfridus moritur: cui succedit Balduinus frater.

Balduinus magna strage uincitur, & uix fuga incolumis evadit. Ro- 1102: mæ mœnia, in quam reliquæ exercitus eius confugerant, ab hostibus diruntur.

Boemundus Apuliæ rex cum cæteris in expeditionem Hierosolymitanam profectus, à Sarracenis capitur, & postea à Tancredo nepote suo liberatur.

Christiani Accaron ciuitatem Palæstinae, quam alij Ptolemaida appellant, post uigesimali diem obfessionis capiunt.

Magna pars Sarracenorū à Christi fidelibus deleta est.

Eodem anno Alexius Imperator Constatinopolitanus, conditiones pacis à Balduino oblatis, accipere cogitur.

Balduinus Berythum & Sidonem, urbes maritimæ, subigit. Apud Carthas seditio inter Christianos príncipes orta, maximo illis damno fuit. irruentibus enim in illos ex improviso hostibus, quidam capti, quidam duces fugati sunt, exercitu misere destituto. Hanc notam paulo post recenti de Sarracenis uictoria emendauit Balduinus.

Sarraceni in regnum Hierosolymitanum ex Perside incurrentes, regis 1113: copias fortè oblatas fugant & cædunt.

Tancredus, qui patrum suum à Sarracenis liberauerat, ad montem regalem ab hostibus uincitur, & occiditur.

Pisani inter Hetruscos nobiles populi, Sarracenos ex Balcaribus insulis armis elecerunt.

Balduino secundo Hierosolymorum rege mortuo, alter eiusdem nominis succedit, qui regem Persarum devicit, atq; occidit. Damasci regem fugauit. Sed Parthorum rege sibi resistente, & illos uicisci uolente, Balduinus capit, & uinctus ultra Euphratēm custodiæ demandatur.

Balduinus post octauum & decimum mensem insidijs ē carcere liberatus, ad suos reuertitur.

Venetorum classis in Syria Sarracenis molesta fuit, Dominico Michaele duce,

le duce. Fuerunt Venetis propter multa merita & uirtutem concessa magna priuilegia.

1125. Pugnatum contra Christianos est quadringentis millibus militum, quibus occurrerunt tribus millibus uirorum Christiani : & Dei benignitate, septem millibus hostium gladio cæsis, & quinqupta millibus aquis suffocatis, Christiani uictoriam consecuti sunt.
1127. In Syria Christiani duabus stragibus fudere Sarracenos , ubi in prima pugna duo millia Sarracenorum , & quingenti desiderati sunt . In altera, quamvis uterque exercitus afflictus est, Christiani tamen uictores extitère.
1129. Rex Ascalonitarum à Balduino repressus , rex Damasci tribus prælijs uiuctus.
1130. Balduino tertio rege Hierosolymitano , è uiuis sublato , Fulco quartus rex constituitur.
1131. Tripolitanus comes proditus occiditur. Fulco rex ab hostibus fugatur, & iniquas conditiones , ut ex obsidione liberaretur, accepit.
1133. Christiani Aegyptijs felici Marte restiterunt.
1139. Ascalon à Christianis recuperatur.
1142. Fulco quartus rex in Hierosolymis, insequens leporem , & ex equo deci dens, efflauit animam: cui successit Balduinus filius, qui quintus rex fuit.
1143. Vrbs Edessa, & tota ferè Mesopotamia à Sarracenis et Alapho duce Tur carum, qui iam in Oriente magni nominis erant, deuicta est , multa & miserabilis Christianorum strage edita , matronis in æde D. Ioannis Baptiste supra altare stupratis.
1144. Balduinus III, quintus rex Hierosolymorum, Gaza & Ascalone Sarracenos eiecit: & apud Hierichunta Noradinum, Damascenæ militiæ principem, quinqupta millibus hostium interfectis , uicit & fugavit.
1145. Emanuel Constantinopolitanus Imperator , exercitus Christianorum contra Sarracenos euntes , multis insidijs fatigauit, ne quid utile Christianæ Reipublicæ efficerent.
1146. Rogerius Siciliæ & Nortmannorum rex , Sarracenos Africanos, rege ipsorum capto , ad triginta annos sibi tributarios reddidit.
1146. Eo anno Conradus secundus Imperator ingentes copias pugnatorum contra Sarracenos parat: sed pugnat infeliciter.
Ludouicus rex Galliæ contra infideles maximam uim militum cogit.
1147. Ex Flandria, Anglia, Lotharingia instructis ducentis nauibus bellum contra Sarracenos institutum est.
Hoc anno Coranus Imperator transmisso feliciter Bosphoro, prope hostes accessit: uerùm deficiente cōmeatu, & (ut nonnulli aiunt) frumento gyro corrupto, coactus est cōtinere cursum, & copias reducere. Quo cognito, Sarraceni à tergo in sequentes, aliquot hominum millia trucidauerunt.
- Eodem anno confluit ad Imperatorem rex Franciæ , adiuuandi illum studio: sed exercitu fame confecto , nihil præclarí actum est.
- Eodem tempore Veneti instructa classe profecti sunt in Asiam , opem laturi Imperatori, qui Sarracenis bellum faciebat.
1148. Hispani expulsis Sarracenis , Almariam & Tortosam turrigeras urbes recuperarunt.
- Eodem anno Damascus à Syris, Gallis, Alemanis, Hierosolymitanis oppugnata est, ac extremi muri diruti: cumque iam spes esset potiundæ urbis, & expugnandi Sarracenos , exorta dissensione inter principes , quisque conuocato suo exercitu, ab oppugnatione destiterunt.
1149. Rex Antiochiæ Raimundus cum toto exercitu deletus à Sarracenis est: omnique terra eius deuastata , sola Antiochia à rege Hierosolymorum æ grè seruata est.

Rex

Rex Hierosolymorum Balduinus, Aegyptios ac Babylonios fudit. 1151.
 Sarraceni ex Almaria armis profligarunt Hispanos. 1158.
 Balduinus multas ciuitates electis Sarracenis in pacem & libertatem re-
 stituit. 1159.

Moritur Balduinus Hierosolymitanus rex, subrogatusque est frater eius 1164.
 Almericus, sextus rex.

Almericus in Aegypto clara potitur uictoria. 1170.
 Idem rex Damiatam obsedit: sed malis conditionibus init pacem. 1171.
 Sarraceni Africani plurimas fecerunt excusione in Hispaniam. 1172.
 Almericus Hierusalem rex febri extinctus: Balduinus filius eius in re-
 gem ungitur, septimus rex. 1175.

Balduinus Saladini Aegyptiorum regis copijs bis uictis & deletis, mul-
 tum auri Hierosolymis intulit. 1177.

Filia regis Sarracenorum, quae Pagano principi nupserat, a rege Sici-
 liæ in mari, cum sponso domum deduceretur, capitur. 1180.

Eo anno Christianæ religionis professores, qui Hierosolyma inhabita-
 bant, uincuntur.

Maximis impensis ac sumptibus Carthago à rege Sarracenorum Mau-
 samunho instaurata est. 1184.

Balduinus septimus rex in Hierosolymis, quem lepra infecerat, absque
 hærede uita excedit. Nepos eius ex sorore Balduinus nomine, rex quidem
 declaratur, sed fatorum iniuria ex illo honorum gradu eripitur: cui succes-
 fit octauus rex Guido Lusignanus.

Inter Guidonem Hierosolymitanum regem, & Raïmundum Tripolita-
 num comitem orta dissensio, causa extitit, ut Christiani in extremum di-
 scrimen inciderent.

Congressi Christiani cum exercitu Saladini regis, uiginti millibus ac 1186.
 quingentis suorum interfectis, misere occumbunt. Guido rex capitur,
 Tripolitanus comes subitanea morte extinguitur.

Octoginta & octo annis, cum Hierusalem à Christianis habitata esset, 1187.
 hoc anno regi Sarracenorum, expulsis Christianis, deditio tradita est,
 die secundo Octobris.

Eo anno universam Iudeæ regionem hostis Sarracenus Christianis eri-
 puit: Tyro, Trípoli, & Antiochia, uix conseruatis.

Fridericus Romanorū Imperator cum Friderico filio, Philippus Galliæ, 1188.
 Richardus Angliæ reges, cum plurimis alijs principibus in comitijs decer-
 nunt, relictis in Iudea Christianis subueniendum esse. Instruitur bellum.
 Fridericus Imperator deductis in Syriam copijs, Armeniaque minore rece-
 pta, estatis tempore lauandi causa Selephium amnem ingrediens periret.

Eodem anno Danica & Flandrica classis Africana littora infestauit, Syl-
 ua urbe capta, & incensa.

Guido collectis copijs Aconem grauiter obsidet, sed Saladini astutia 1189.
 semper uincitur. magna clades Christianis illata morbo, fame, armis. Sibyl-
 la Guidonis uxor cum quatuor filijs, in castris moritur exsenteria.

Franciæ & Galliæ rex coniunctis suis nauibus cum Guidonis exercitu, 1190.
 Aconem oppugnant.

Acon post biennalem obsidionem conditionibus se se dedidit. 1191.
 Inter Philippum & Richardum reges simultate orta, copiæ disiungun-
 tur, & rex Galliæ dominum rediit. Angliæ autem rex diutius aliquantulum
 experiebatur bellum fortunam, sed frustra.

Eodem anno Venetæ quoque & Pisanæ classis disiunctio, Christianæ
 Reipublicæ permiciofa fuit: quia & ipsæ discessum parantes, odiorum cau-
 fas dominum secum attulerunt.

- 154 V V O L F G A N G I D R E C H S L E R I
1193. Sultanus Saladinus imperator Sarracenæ gentis, rebus gestis; moderatione & fortitudine insignis, efflauit animam, filijs eius regnum inter se dispergientibus.
1195. Sarraceni Africani in Hispaniam irruentes, binis, ut nunc sunt, regnis potiuntur, Castellæ & Granatæ.
1198. Henricus Imperator Moguntino archiepiscopo, & Othone Saxoniam electore bellî præfectis, ac plerisq; alijs magni nominis viris, nouas instruxit copias contra Sarracenos: & receptis ad certum numerum ciuitatibus, constituunt Christiani regem, Hamericum nominatum. Fuit in eadem expeditione Hermannus Landgravius Turingia.
1199. Henrico Imperatore mortuo, duces modò dicti uictoriam desperantes, in Germaniam reuertuntur.
1200. Sarraceni post captâ crudeliter loppem, sauerunt in omnes Christianos.
1202. Africani Sarraceni utramq; Hispaniam igne & cæde uastarunt, excursionibus in Galliam quoque factis.
1216. Friderico secundo Imperatore noua expeditio in Syriam decreta, multis principibus conspirantibus, contra Sarracenos.
- Eodem anno in suburbio Aconis ciuitatis, exercitus Christianorum confluunt, & ciuitatem Damiatam, Aegypti urbem, ab impijs munitam obsident.
1217. Quatuor Hispaniæ reges, collecto in unum exercitu, Sarracenos repellerunt, ex Betica tamen ejcere non valuerunt.
1221. Damata Sultano reddita, Christiani Aconem & Tyrum redierunt.
1228. Fridericus Imperator in Syriam profectus, inducas cum Sarracenis pè pigit: & Hierosolyma cum suis copijs, regio diademate honorandus, ingressus est.
1237. Christianorum exercitus, cui Theobaldus Nauarræ rex præfuit, inter Gazam & Ptolemaida occubuit.
1244. Sarraceni à Ferdinando rege forti & celebri ex Hispanijs expulsi.
1247. Sarraceni Asiatici Christianos in Syria uexarunt, & sepulchrum Christi ignominiose defoedarunt.
1248. Ludouicus rex Galliæ, exercitum traiecit in Syriam, animo expugnandi Sarracenos, & cupiditate liberandi Christianos.
1249. Congressus Ludouicus Galliæ rex cum Sarracenis, Damiatam ciuitatem populosam ac turrigeram cœpit.
1250. Cum inter procellas pugnae ad Faramiam à Sarracenis comprehendetur Ludouicus rex cum Carolo & Alphonso fratribus, reddidit Damiam: quo facto suæ suorumq; saluti consuluit, & ex vinculis liberatus est. Captus rex est die quinto Aprilis.
1252. Sarraceni Baleares amiserunt insulas, quas occupauit dux Tarraconensis.
1261. Hispaniæ reges inter se discordes, alius Gallos socios ad se allexit, alter Sarracenum militem aduersus fratrem conduxit, suo suorumq; maximo incommodo.
1262. Factio[n]es Veneta & Genuensis, Christianos Ptolemaidem & Tyrum incolentes, infestinis odijs exercuerunt.
1265. Expulso ex Syria Sarraceni Christianos.
1268. Antiochia à Bodegaro Sultano uastata.
1270. Iterum rex Galliæ Ludouicus cum filijs tribus ingentes copias, contra Sarracenos, in Africam duxit: ubi cum contra illos feliciter pugnatum esset, Carthaginem obsedit. sed pestis exercitum inficiens, regem, simulq; filium eius Ioannem uita priuauit: & sic soluta est obsidio.
1281. Armenijs & Scythæ ad Gamalam iudeæ urbem cum ipsa penè urbe à Sarracenis delentur.

Sultanus

Sultanus Aegypti rex Tripolim incendit, Christianos in seruitutem abigit. 1289.

Tyrus, Sidon, Tripolis, Berytus, ab eodem incensæ & complanatae. 1290.
Ptolemae fuga dispersis Christianis, sine ui capta atque diruta: fundamen
tis quoque effossis, Christiani qui urbem reliquerant, in Cretam fugientes,
perierunt naufragio.

TVRCA RVM REGNVM.

10 THOMANVS rapinis & prædationibus ditatus, intra de- 1301.
cennale spaciū bonam Bithyniæ partem, & adiacentia Pon
to Euxino loca, suo imperio adiecit, & primi regis Turcarum
nomen meruit.

Rhodus insula Sarracenis erepta. 1307.
Alphonsus rex Castellæ cum Sarracenis signa feliciter contulit, duabus 1310.
potentissimis urbibus captis.

Othomanus Turcarum rex moritur: cui successit Orchanes filius, Tur 1328.
carum rex secundus.

Græcis de regno inter se disceptantibus, Prusiam amplissimam urbem 1350.
20 Orchanes uiademit.

Orchanes contra Tartaros (ita Scythæ appellantur) infaustè pugnans, 1350,
cum multis suorum interficitur. Regni habenas accepit Amurathes Tur-
carum rex 111.

Amurathes auaricia & perfidia Genuensium Helleponi angustias ad 1363.
Abydum superat, Philippopolis & Hadrianopoli urbibus in potestatem
redactis.

Seruia Bulgariaq; Christianis adempta, Lazaro Seruiæ Despota capto, 1372.
in campis Cassouïs.

Superiorem Mysiam ingressus Amurathes, à fideli seruo Lazaris, qui 1373.
30 mortem Domini ulcisci cupiit, pugione in inguine percussus, interiit. A-
murathi interfecti regnum consecutus est filius eius Baiazethes, fratre in-
terfecto, Turcarum rex 1111.

Marcus Cratenicus Bulgarorum rex, cum uniuersa sua nobilitate à Ba- 1374.
iazethe in prælio deletur.

Bosna, Croacia, Illyria, Albania, Vualachia, uastatae, multis millibus 1376.
Christianorum partim occisis, partim in seruitutem abstractis.

Constantinopolis ab immanissimo Turcarum rege totos octo annos 1389.
uexatur, & obsidetur.

Franci & Angli socijs Genuensisibus Sarracenos Africanos compulerūt, 1390.
40 ut captiuos Christianos redderent, & decem millia aureorum penderent.

Valachi auxilijs Turcicis utentes contra Vngaros, profligati sunt. 1392.

Prælio inter Christianos & Turcas ad Nicopolim commisso, die pro 1396.
festo diui Michaelis uictoria penes Baiazethem fuit: qui in armis plus
quam trecenta hominum millia habuit, in quibus sexaginta millia equi-
tum fuerunt. Christianorum exercitus, qui ex Gallis & Vngaris con-
stabat, non excelsit numerum octoginta millium, inter quos circiter
uiginti millia equitum fuere. Gallorum duces maxima ex parte capti. Si-
gismundus Vngariæ rex fuga sibi uix consuluit. Ex Christianis uiginti
50 millia, ex Turcicis sexaginta sunt occisa. Hæc quoque clades Christia-
ni exercitus discordia contigit, modò Gallis, modò Vngaris primas
præliandi partes depositibus. Post prælium ad Constantinopolitanam
obsidionem recursum fuit.

Tamburlanus Scytharum rex, obscuru loco natus, tantopere creuit, 1397.
u 2 ut mil-

ut mille ducentos equites in aula sua aleret. Hic cum infinita armatorum multitudine in Asiam descendens, prope Stellam montem in Galliciae Bithyniae confinio, ad ducenta Turcarum millia cœcidit. Regem Baizae them capit, & caueæ inclusit, aureis cathenis ligauit. Concessurus eum, eo pro scabello utebatur, & in ludibrium per totam Asiam secum circumducebat. Persas fugauit, Medos uicit, Armenios strauit, totam Aegyptum deuastauit. Damascum euertit: Marchantum urbem condidit, quam omnis generis captiuis impleuit, & urbium captiuarum spolijs ornauit. In eius exercitu penè supra fidem duodecies centena millia hominum militasse traduntur. Triplici tentorio usus est, cum in conspectum hostium ueniret: albo, quo spem gratiæ sese dederibus significabat: tum rubro, quo sanguinem & flammarum: postremò atro, quo extre-¹⁰ mam rerum omnium euerzionem.

Eodem anno Vualachia, Transyluania, Moldavia, & omnis Transdanubiana regio, duce Stephano Vaiuoda tumultuatur contra Sigismundum: unde intellectum est, prioris cladis auctorem Vaiuodam fuisse, qui Turcas allegerit.

^{1398.} Cyrus celebes, quem Calepinum alij appellant, post deletum à Scytharum rege exercitum, & captum patrem, fuga liberatus, ad regnum aspirauit: quod etiam obtinuit, v. Turcarum rex.²⁰

^{1399.} Turca rege suo capto, & cæso exercitu, sub Cyrus celebe nihil memoria dignum egerunt.

^{1404.} Cyrus celebes Turcarum rex moritur, relictis filiis Orcanne & Mahometo.

Orcannes Thraciæ regulis fauentibus, admodum adolescens imperio destinatur, sed in pugna ad Gazarum, non longè ab Hebro fluvio, Mosis patrui sui scelere opprimitur.

^{1405.} Mahometes vi. Turcarum rex, sublato fratre, regno solus potitur.

^{1408.} Mahometes Seruam, Vualachiam, & non exiguum Sclauoniae partem subegit.³⁰

^{1411.} Sigismundus Vngarorum rex in Salumbezinis campis, qui Philadelphia olim appellatis sunt, contra Turcas pugnans, viribus inferior, uictus atque fugatus est.

^{1412.} Vualachis grauia tributa Mahometes imposuit. Ex Bithynia in Thraciam, sedem regiam transtulit: & Prusia urbi prætulit Adrianopolim. Primus Danubium traiecit, Macedoniam perdomuit, ad Ionium usque pelagus peruenit.

^{1419.} Amurrathes vii. Turcarum rex, Mustapha Baiazethis filio hostiliter deuicto, regnum paternum arripuit.

^{1420.} Turca in Georgium Despotam Seruię, quam nonnulli Rasciam uocant, expeditionem facit. Nouementum, & Scopiam, quadriennium ob sidet, Synderouiam infestat, Despotæ filios duos captos, oculis & pudendis priuat. Filiam eius in uxorem ducit, propter pulchritudinem.⁴⁰

^{1438.} Thessalonica insignis urbs Venetæ ditionis, in Turcarum potestatem uenit: qui nullum genus iniuriæ aut contumeliam in Christianos omiserunt.

Amurrathes Belgradum obsidens, circa decem millibus hominum in fossis amissis, cum dedecore septem mensium obsidionem soluit.

^{1439.} Ioannes Huniades Turcis se opposuit, inter Sauum & Drauum regiones Vngariæ ustantes, eosq; in fugam uertit.

^{1440.} Ladislaus Poloniæ & Vngariæ rex, eodem Huniade duce in Haemicam pisis illustri uictoria potitus, Turcam ad conditiones pacis compulit.⁵⁰

^{1444.} Pax cum Turca inita, Eugenij Pontificis hortatu uiolatur: quæ res nomini Christiano perniciosa extitit. Primum enim septuaginta triremes Chri-
stiano-

Christianorum ad Hellesponti angustias superate: deinde cōmissō ad Varnam prēlio, dīe profesto diui Martini, ultra triginta millia ceciderunt: plurimi in paludib⁹ submersi sunt. Interierunt etiam Julianus Cæsarinus cardinalis, qui ad foederis uiolationem impulerat: & rex ipse Ludouicus, qui bellum cupidē nimis susceperebat. Huniades uix fuga euaſit. Turca per Bosphorum Thracium trajectere classem non potuiffet, niſi Genuenses in singula Turcarum capita aureo nummo accepto id permisſerent.

Isthmum Corinthiacum Amurhates occupat, & Græcorum præsidia 1445. cum fratre Constantinopolitani Imperatoris fundit, & populationibus to-
tam deuastat Peloponnesum.

Rex Poloniæ cum Turcis in Vngariam irruentes, conseruit manus; & 1446. uictor euaſit. Turcæ ultionis cupidi magna vi coacta, reparant uires, ac bel-
lum instaurant: in quo utraque pars tulit cladem cīciter octingentorum
millium. grauior tamē Turcarum iactura fuit, quam Christianorū: quam-
uis occubuerat princeps belli, cuius caput ad Turcarum regem allatum est.
Occubuit & Turcarum regis filius in eadem pugna.

Vngari duce Huniade, deuastaturi Turcicas prouincias numero cīciter 1448.
sexingentorum millium, regiones eorum ingrediuntur: pugnantesq; cum
Turcis, prima quidem pugna retulere uictoriā. altero uero prælio cecidē
re penē omnes, exceptis cīciter mille, qui fuga sibi consulebant.

Turca Croiā urbem, in campis Aemathiae sitam, Scanderbeccho resi- 1449.
stente fruſtra multis mensibus oppugnat: suorum que multis deletis, infe-
cta re discedit.

Amurhates Turcarum Imperator de uita discedit, reliquo successore, si- 1450.
lio Machomete vīi, Turcarum rege: qui fratrem suum, ne pater solus fe-
peliretur, statim interfecit, & eodem sepulchro condī iussit.

Machometi initium belli fuit contra Scanderbeccum. Turca Croiā 1451.
octuaginta millibus hominū obsidens, cum dedecore discessit: & reli-
quo in Croiā obsidione duce Ballabano, ab urbe fugit.

Athenæ, omnium artiū & disciplinarum inuentrices, ab immanissi- 1452.
mo tyranno solo æquatæ sunt, etiam fundamentis quibusdam in locis effos-
sis, & Munychia atque Piræo dirutis.

